Markiewicz Lucas: Examen scrutinii veritatis fidei etc. Posnan. 1683.

EXAMEN
Scrutinii Veritatis Fidei,

Quoad Prolegomena

A

SAMUELE SCHELGUIGIO

In

Gymnasio Gedanensi Theologiæ Profess. Publ. Extraord. & Ecclesiæ ad D. Catharinam Ministro,

Male institutum,

Ad meliorem Trutinam revocatum, eidemq; ad orthodoxæ Veritatis agnitionem

In strenam oblatum.

A

R. D. LUCA MARKIEWICZ

Parocho Więcborgiense.

Impressum Posnaniæ Anno 1683.

CAlumnia conturbat Sapientem. Ecclesiast. cap. 7.8.

Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs DEI; Stultitia enim illi & non potest intelligere. 1. Cor. 2. 14.

A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 2. Timoth. 4.

D. Gregor. M. *Arrogantes Viri habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur, & cùm non possint reprehendere justè, quæ sunt, reprehendunt, mentiendo quæ non sunt.* Lib. 2. Moral. cap. 7.

APPROBATIO.

VT ipsum egregium Opus sub Titulo, *Scrutinium Veritatis fidei* ab A. R. P. Joan. Francisco Hacki S. J. Theologo contra hujus præcipuè temporis hæreses concinnatum, non tam censurandum, quàm laudandum judicavi, imprimendumq; censui: ita cùm contra ejusdem Prolegomena, quidam Gedanensis Prædicans, citra modestiæ & Veritatis fas & leges, insolentem & aculeatum calamum in *Examine Scrutinii* arroganter strinxerit: Eidem verò *Examen malè institutum* ab eodem *ad meliorem Trutinam* per modum Apologiæ, *revocatum.* Adm. R. D. Lucas Markiewicz, Parochus Więcborgiensis, laudabili, quia grati erga suum Professorem animo opposuerit, atq; publici juris fieri expetierit, Autoritate Reverendissimi Officii Generalis Posnanien. hanc Approbationem eidem concedendam esse duxi. Posnaniæ 3. Decemb. 1682.

STEPHANUS MORESKI, S. T. Doct.
Canon: Cathedr. & ad D. M. Magdal. Præpositus Posnan.

ILLUSTRISSIMO
Et
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
Casimiro Ioanni
De Bnin OPALENSKI,
EPISCOPO CULMENSI ET POMESANIÆ,
Domino, Patrono, ac Mecænati amplissimo.

N*On minoris virtutis ac gloriæ eſt illuſtriſſimum Veritatis ſplendorem in publicam proferre lucem, quàm à malevolis obſcurantium adverſariorum offuciis. Vecta, quin evecta eſt nuper in Theologico Scrutinio à R. P. Joanne Franciſco Hacki Societatis JEſu Veritas fidei, ſolerti Diſſidentium Sectariorum indagini propoſita, Illuſtriſſimâ Gentilitiâ Opaleniâ Navi Tuâ Celſiſſime Antiſtes, & dum ad deſideratum, totq; expetitum votis bonæ ſpei promontorium, agnoſcendæ tandem à tot erroribus unicæ Veritatis, plenis velis curſu contendit fortunato, in adverſas malè ſanæ mentis ſyrtes, ſcopuloſq; incurrit. Bene tamen habet: in tuto ac tranquillo invicta veritas conſiſtit: quia ſuam inconcuſsâ Tuâ Argô vehi ſentit fortunam, naufragium haud reformidat. Quod quiſpiam navi ad*

portum tendenti adscripsit, aut ingredi, aut perire, *minùs generosæ mentis indicium declarans, aut navis suæ firmitati parùm fidens; hoc mutato nonnihil lemmate Gentilitiæ Tuæ Navi Veritatem fidei auspicatò provehenti inscribere liceat;* Ingredi, haud perire, *utpote quæ certior fidæ potiùs stationis in vera fide, medios etiam inter perturbati æquoris fluctus, quàm exitii. Patieris proinde Celsissime Præsul à Veritate hac suæ innocentiæ Apologiâ, quam R. P. Autori Scrutinii meo olim Professori in tesseram grati animi adornavi, onerari Tuam Onerariam quàm simul Tuis in causa Torunensi ornat vindiciis. Victricem sibi de jurato hoste palmam à Tua Argo Veritas pollicetur, quæ palmarem Illustrissimæ Domûs Tuæ gloriam, fideiq; Orthodoxæ pretiosum Cimelion, aurei locò velleris, per orbem Sarmaticum, Borussicumq;, vel in Te magno Antistite ac Senatore Regni circumvehit. Et quæ Heroum semper* magnos servatur adusus, magnæ *utpote quæ* prævalet, *Veritatis, defendendæ ac conservandæ, sui usum ultrò commodabit. Quin, ut fausti in celeusmatis vicem Poëta paucis mutatis occinendo votum, concludam:*

Quam Tibi consignat Navem Genus, illa sacratæ
Continuò fidei pulchra trophæa vehat.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ
Celsitudinis Vestræ

Devinctissimus Servus ac Cliens,

Lucas Markiewicz, Par. Więcborgiensis.

Ad

Ad Lectorem.

Nihil convenientiùs de Autore Examinis Scrutinii Veritatis dici potest, quàm id quod Regius Psaltes de perverso & maledico, an maledicto homine pronuntiat. *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs Filium Matris tuæ ponebas scandalum.* Psal. 49. Quæ verba explicans S. Augustinus sic ait: *Sedens adversùs fratrem tuum detrahebas, ipsam detractionem diligenter faciebas, volebas ibi occupari, amplexabaris malum tuum, osculabaris dolum tuum.* Ediderat in lucem suppresso nomine ob certas & justas causas Scrutatorem Veritatis, velut prodromum ipsius pleni Operis, quod etiam jam lucem aspexit, R. P. Joan. Franciscus Hacki S. Jesu Theologus simplici & rectâ mente, non ut quenquam contumeliâ afficeret, aut mali nominis notam cuipiam inureret, sed solius veritatis, quæ unica, intuitu & salutis animarum zelo permotus, ut ipsemet fatetur in Scrutinii Præf. 1. & 2. proponendo 12 Postulata in Scrutatore, quæ in Scrutinio per Discursus longiores diduxerat; videlicet, ut in tanta multitudine & diversitate Religionum tandem mundo pateat, quænam una omnium fidelis Veritatis fidei Custos & Magistra, adeòque quæ ex omnibus una tanquam vera Orthodoxa Apostolica ab universis amplectenda sit, cæteris heterodoxis prorsus rejectis; ut nimirum hâc a-

gnita, Uni Creatori omnium Deo,uni Mediatori Dei, & Hominum Christo IESU in una Fide verus reddatur ab omnibus cultus, sicque credentium sit *Cor unum & anima una.* Cùm ecce extemplò sacro quodam æstro actus & agitatus Samuel Schelgvigius Professor Gymnasii Gedan. & Minister, Sedens adversùs Fratrem suum in Christo (omnes enim, qui in Christo per Lavacrum regenerationis in Baptismo Dei Filii nati sunt, Fratrum in Christo nomine nuncupandi) loquitur, detrahit,disputat,quin & scribit,scripta edit, sine Judicis Sententia, arbitri revisione,Censoris limâ,& adversùs Filium Matris suæ, quam in majoribus suis turpiter deseruit, ponit scandalum,quia commovet Discipulos,ad nescio quos Carminum plausus excitat,famosum duarum phylurarum libellum conscribit, tot contumeliis, convitiis,criminibus falsi infarcinat,ac tandem spargit in vulgus. Qui tamen providâ Nobilis Magistratûs Gedanensis curâ ferebatur suppressus, nihilominùs oculis Legentium in Bibliopoliis palam ac publicè patebat expositus, venditus,distractus,quin & Regiomontum alioque transmissus. Itaque hanc iniquam *detractionem*, & impudentem contumeliam *diligenter faciebat, volebat ibi occupari, amplexabatur malum suum, osculabatur dolum suum.*

Et scripsisset ille sanè contra Scrutinium, Christianâ, ut par est, cum modestiâ,non cavillando, non criminando, non falsa appingendo Autori, sed merè pro virili veritatem, si quâ gaudet,suæ Religionis demonstrando,nemo fuisset, qui vel os aperiret, & ego ipse mutus permanerem piscis. Nunc autem

tantam

tantam hominis insolentissimi ac impudentissimi temeritatem & arrogantiam omninò reprimendam esse censeo, ut & Veritatis partes agam,& criminatori falsò talionem quam meretur de jure reddam, atque vel hoc nomine gratum me Discipulum R.P. Joanni Francisco Hacki, Professori olim meo exhibeam, qui pro suâ modestiâ furori Examinatoris hactenus cedendum existimavit, illud Poëtæ secutus;

Dum furor in cursu est currenti cede furori. *Ovid.*

Præsertim quia ut alter Poëta rectè canit:

Sed caret eventu nimius furor improba nunquam
Spes lætata diu. *Claud.*

Quamobrem & ille credo aliquando calamum in acumen,non aculeum à quo longè abest in suis scriptis,acuet,manu stringet,doctâ sepiâ impudentem Autoris livorem delebit.

Ecquis non insolentissimum Autoris furorem agnoscat, quando ipse præiens tanquam Professor & Præses, Duxque Gregis,Discipulos suos velut Corybantes, Cybeles Cultores in furorem sacrum secum egit, traxitque,atque ad improbos, quia à nemine prudente & cordato probandos, versus pangendos tanquam Cymbala pulsanda excitavit. Ipse enim *fel cordis atri paliatum sesamo,offuciasq; noxias Ecclesiæ* Scrutatori Veritatis haud verè adscribit: quem secuti Discipuli,primus *dogmata falsa, & fraudes* eidem affingit. Secundus jam *cæcum*, jam *lucifosorem noctuam*, jam *tenebras noctis in medio die somniantem* malè somniat. Tertius *vanos errores Papæ turbam tueri*, vanè & temerè matæologizat. Quartus Scrutatorem

Vexa-

Vexatorem inanem, inermem, illius Scrutinium pravæ relligionis certissimam notam falsò asserit. Quintus denique *lubrico errori eundem* erroneè implicat. Quid obsecro sunt ejusmodi plausus, quàm inanes arrogantis animi ausus? Scurriles Cantiones, quibus Triumphus occinitur ante Victoriam, inconditi risus srudentis Aselli, pelleque Leonis induti superbientis. Sexcentos & plures similes intempestivos applausus posset sibi excitare R. P. Professor meus, possem & ego ejus nomine, verùm ut ipsemet è vero in Præf. Scrutinii ait: *Veritas non eget tragico Theocrine*, &c.

TRU-

TRUTINA
PRÆFATIONIS.

QUam laudem mereatur, quâve dignus panegyri is, qui rem acu non tangit, extra oleas fertur, omissâ hyperâ pedem insequitur, à proposito deniq; scopo toto cœlo aberrat. Imò quo Asterisco notandus, quamve censuram incurrit, qui à laudibus ad convitia, à sanâ mente ad sannas, à veritatis testimonio ad fallaciarum argumenta criminaque falsi conversus, innocenter insontem non sine gravi noxâ, intemperante calamo aggreditur, nemo prudens & cordatus non novit. Tanti criminis reum altiori doctioris orbis Tribunali sisto Samuelem Schelgvigium Autorem Examinis Scrutinii Veritatis iterati. Examen ejusdem malè institutum ad meliorem Trutinam & ipsius æquitatis examen revoco. Scopus & finis Scrutatoris Veritatis ejusdemq; Scrutinii non alius est, quàm ut & 12. Postulatis velut prodromis 12. Discursuum Scrutinii Christianam unicam Veritatem in tot Sectas & opiniones divulsam, atq; vel ideò in præceps infelici lapsu mentem pro sua virili retineat, à præcipiti casu eripiat, aut jam collapsam è ruderibus eruat. Etenim quæ tot lustris annorum illustris semper, tot seculorum fluxu à Christo D. atq; Apostolis immota contra infernales portas duobus innixa firmamentis & basibus, nimirum verbi DEI: & autoritatis Ecclesiæ Catholicæ, consistebat ab infeliciter cœpta præterito seculo

Protestantica Reformatione, an veriùs deformatione, unâ autoritatis Ecclesiæ Catholicæ submotâ, solâ verbi DEI base, sine alterius consortio nullâ ratione valet subsistere quin prorsus cadat in præceps, velut, dum

Collapsa ruunt subductis tecta columnis.

At verò Sam. Schelgvig: hæc in tam clara luce posita, limis, an lippis oculis præterit, nec quidem supremis digitis attingit, palpo potiùs fieri maluit in tenebris, fors quia talpâ cœcior; pulveremque alienis oculis effundere elegit, ut vel sic religiosum Veritatis Inquisitorem, quid dico Inquisitorem? quin seipsum Aletophygam gnaviter & graviter confunderet. Honor enim est in honorante: sibi magis nocet qui innocentem aggreditur, suismet se perimit telis, quibus premit caucaso impenetrabilius pectus. De proprio capite comitia agit, qui de alieno iniquo suffragio statuit. Id in suo expertus Goliathus, non alio quàm proprio, etsi aliena victrici Davidica manu, in conviciorum plenis plaustris erectum trophæum, caput referens amputatum.

Quid etenim sibi volunt hæc Samuelis octo pagellis in octavo Pseudologiæ gradu comprehensa, convitia, scommata, & crimina falsi, contra R.P. J.F.F.

1. Ait *Societatis JESU ut vocatur Theologus*, Quid hæc Parenthesis ad chordam? quid ad rem? Derogantium alienæ aut scientiæ, aut autoritati, aut cæteroqui fidei bonisque moribus est appendix, *ut vocatur*. Nec quicquam ille frustra vocatur *Societatis JEsu*, qui eam religiosâ vitâ suâ jam triginta annis profitetur; nec *frustra Theologus*, qui Theologi & laudem & lauream ante viginti annos me quoq; spectante reportavit. Non ille profectò portat *nomen inane*, nec meram *nominis umbram*; Nec *Vox est, prætereaq; nihil.* Quidsi Tibi Schelgvigi apponam eandem Parenthesin, *ut vocatur* Samuel: id est, ex Hebræo, *positus, à DEO* scil. rem nomini haud conformem gerens? utpote

utpote Deo & Christo D. sese opponens, quia ejus Ecclesiæ, & Veritati.

2. Inquit. *Tametsi more suorum, non admodùm magni faciat Scripturam, & in eo hactenus desudet, ut autoritatem ejus pro virili imminuat.* Deprehenderis hic bone Samuel, in aperto crimine falsi & calumniæ velut mendax Atraphaxis, ad debitas proinde & destinatas ejusmodi criminis, & calumniæ reis pœnas condemnandus. De Jure tam Civili §. Item Lex Cornelia de falsis Instit. de public. Judic. lib. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de falsis Authent. Bona damnatorum C. de bonis proscript. quàm Canonico, l. ult. C. de Accus. & l. ult. C. de Calumniat. C. super his 16. C. cùm fortiùs 1. h. t. C. juxta 3. Causa 5. q. 6. Itane R.P. Autor Scrutinii? Itane nos Catholici *non admodùm magni facimus Scripturam*? Itane ille? itane nos *in eo desudamus, ut autoritatem ejus pro virili imminuamus*? At ergòne haud legisti Scrutinii parte 2. §. 2. p. 178. in quanto honore habeamus S. Scripturam, *Dicimus enim* (verba sunt Reverendi Patris Autoris) *& docemus S. Scripturam esse infallibilem fidei Regulam. Hæc Veritas est definita in Concil: Trident. sess. 4. &c.* Is verò potiùs non admodùm magni facit Scripturam, ejusque autoritatem imminuit, qui repudiata Ecclesiæ Catholicæ autoritate solam S. Scripturam statuit Regulam, regulantemve, seu Judicem fidei: etenim ipsemet veriùs est illius Regulans seu Judex, illam scil. ad suum privatum sensum detorquens, eandem explicans, & applicans fidei articulis, pro suo lubitu & libidine. Quod ipsum patet vel ex eo, quia cùm omnes hodiernæ Sectæ hoc asserant, ac pro primo fidei principio habeant, scil. solam S. Scripturam exclusa Ecclesiæ autoritate esse regulam & regulantem seu Judicem: nihilominùs in regulatis seu particularib9 fidei articulis minimè conveniunt, suum potiùs autorem sensum quàm Scripturam Judicem sequuntur: tantùmq; authoritati ejusdẽ imminuunt, quantùm Scripturam prætendendo, suos illi privatos

è proprio cerebro natos ſupponunt ſenſus & interpretationes. Id quod fuſiùs toto Scrutinio Veritatis probatur manifeſtè. Unde ipſe potiùs examinator Scrutinii *in eo more ſuorum deſudat, ut S. Scripturæ pro virili autoritatem imminuat*; quod ipſum de ſui temporis hæreticis, longè ante agnoſcit D. Auguſtinus cont. Fauſtum l. 32. c. 19. *Hæretici hoc agunt, ut omnis de medio Scripturarum Autoritas auferatur, ut ſuus cuiq; autor animus ſit, quid in quaq; Scriptura probet, quid improbet &c.*

3. Pluribus deinde redarguit R. P. Autorem Scrutinii Examinator: ac inprimis, ipſemet fronte caperatâ, aut planè fronto, *fronte carere*, eundem ſiniſtro oculo conſpicit, an deſpicit? vel ideò ipſe deſpiciendus. *Recentemq; Plagiarium* facit, eò quòd ut non jam amans ſed veriùs amens ſibi ipſe ſomnia fingit. Quaſi R. P. Autor Propoſitiones 12. à Jodoco Keddio ex eadem Societate vulgatas, quæ Erhardo Comiti Truchſes à Wetzhauſen occaſio & motiva cauſa fuêre ſeſe ad Eccleſiæ Catholicæ Romanæ gremium conferendi, ſibi proprias fecerit, nec quidquam aliud in ſuis 12. Poſtulatis comprehenderit, quàm quod ille in ſuis Propoſitionibus, nullam tamen Jodoci Keddii mentionem fecerit. Nimis quàm acerba eſt hæc Examinatoris criminatio, quâ orbi palàm facit ſe de familia eſſe Megarici aut Pyrrhandri Sycophantæ inſigniter verſuti, notæque malitiæ: ad mera enim commenta, & falſitatis, malitiæque inſignis machinamenta converſus fucum ſuis inducere, & non veritatem detegere animo habuiſſe, res ipſa loquitur: idque tum ex infra dicendis patebit, tum ex confiсto crimine falſi. Nam inprimis fateor utrumque & Jodocum Keddium, & R. P. Autorem Scrutinii convenire in fine & ſcopo, ad quem tendunt, ille ſuis 12. Propoſitionibus, hic 12. Poſtulatis in Scrutatore, & 12. Diſcurſibus in Scrutinio, Nimirum ut unicam Veritatem fidei demonſtrent, à qua eo ipſo longè diſſident, Diſſidentes Neo-Evangelici, quia in tot inter ſe, atque à Catholica Romana Eccleſia Diſſentientes Religiones

ligiones & Sectas dispescuntur. Et ad hoc quidem argumentum probandum assumpsit Jod. Kedd. Propositiones 12. Noster Scrutinii Autor 12. Postulata & Discursus, quæ inter se non planè conveniunt in omnibus, etsi Examinator convenire frustrà contendat. Nam inprimis fundamentum Postulatorum & Discursuum Autoris Scrutinii hoc est, ut ex eo ipso fidei principio, quod omnes Dissidentes assumunt, nimirum solam S. Scripturam esse Regulam & regulantem, seu Judicem fidei exclusâ Ecclesiæ Catholicæ autoritate, demonstret sequi nullitatem omnium & singularum Religionum, idq́ue totâ primâ Parte Scrutinii solidis probat argumentis, atq́ue ita propriis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ antagonistas telis conficit. Quod medium in suis propositionibus Jod. Kedd. non assumit. Deinde ea quæ postulat Scrutator non vult probari quocunque argumento, aut ratiocinatione, sed ex sola fidei suæ regula S. Scriptura desumpto: quod non ita urget Jod. Kedd. cùm expresè propositione 1. sic ordiatur, *ut ratione quapiam aut argumento peculiari probent.* Item 2. Propos. *ut probet argumento quopiam seu ratiocinatione peculiari.* Item 3 Propos. 4. *demonstretur ratiocinatione, aut argumento,* &c. Etsi in hoc conveniat uterq́ue quòd tale requirant argumentum quo non æquo jure possint alii discrepantes à se uti. Adhæc aliqua Postulata habet Scrutator, quæ non attingit Jod. Kedd. Nam primi nec mentionem facit: & quamvis Examinator dicat *nimis esse absonum, & si viveret* Kedd. *suo forte calculo nunquam dignaretur.* Id temerè & nugaciter more suo effutit. Etenim hoc ipsum est fundamentum & basis omnium Controversiarum fidei, atque ideò etiam à Scrutatore primo, & principe loco ponitur; nimirum de regula & regulante, norma & normante, adeòq́ue Judice fidei; ab hac enim Controversia omnes aliæ pendent. Id quod omnes polemicæ Theologiæ benè periti fatentur ingenuè. Item Jod. Kedd. in suis Prop. non meminit Postulati Scrutatoris

decimi, undecimi, de Symbolo ſeu Confeſſ. fidei, neque de Catechiſmo & libris dogmaticis, neque duodecimi; De poſſibili nova Confeſſione ex S. Scriptura deſumpta. Scrutator quoque alia non attingit quæ adfert *Kedd.* Nam nihil habet *de miraculis Apoſtolorum* de quo Keddii Propoſ. 5. Nihil *de Eccleſia quæ extra Romanam docuerit Gentes Evangelium Chriſti* de quo Prop. 9. Nihil *de Romano Pontifice, nihil de Eccleſia Romana, an tam hæc quàm ille aliquid contrarium Scripturæ credendum decrevit?* de quo Prop. 10. & 11. Viderit igitur quâ veritate, aut veriùs falſitate præſumſerit dicere, *non ovum ovo, aut lac lacti ſimilius eſſe, quàm Scrutatoris Veritatis Poſtulata Propoſitionibus Keddii*: quòdque *unus ſit expilator alterius*: & ſexcenta alia quæ ad Pſeudologiam aſueto ore effūdit an effutit Schelgvig. Qui dum hoc ſcribendi genere, ſuam eruditionem venditare contendit, nimium rudem declarat Minervam rudentis aſini ad Lyram: ſeque hominem treſſis aut tragicum Theocrinem totidem verbis quot R. P. Autorem Scrutinii carpere impudenter audet, palàm ediſſerit; ita in eundem redit, id quod initio præfationis de noſtro Autore Scrutinii dictum voluit, ex Eccleſ. nim. *Nihil ſub ſole novum* carpere ſcil: ac proſcindere innocentem, *nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt*: quòd Schelgvig. in R. P. Aut. Scrutinii plenis plauſtris pſeudologiarum intemperante animo & calamo invehat. Et ſit ita ſanè quòd R. P. Autor Scrutinii conveniat cum Keddio: Ergone ideò extemplo *Expilator, Plagiarius recens, alieno cothurno innitens, crambem recoquens*, & neſcio quis tandem Schelgvigio audire merebatur? Qui utique lin initio Præfat. ad lect. apertè proteſtatur ex D. Auguſt. quòd *cùm non omnia quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniant, & fieri poſſit, ut nonnulli qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros* (*v.g.* Keddii aut aliorum) *& in iſtos ſaltem incidant: ideòque utile eſt plures à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſâ fide,*

etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios sic l. 1. de S. Trin. c. 3. Legere est in Vener. Beda (ut taceam de aliis etiam veteribus Scriptoribus) integros paragraphos & sententias desumptas ex S. Augustino: Ergone statim dicendus Expilator, Plagiarius?

Id denique Schelgvigius sibi appropriet quod D. Gregor: l. 2. Mor. c. 7. ait. *Arrogantes viri habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur; & cùm non possint reprehēdere justè, quæ sunt, reprehendunt mētiendo quæ non sunt.*

TRUTINA.

Numeri 1.

DE *Prolegomenis libro affixis.* 1 *Ad Titulum libri.* *Qui veritatem fidei scrutatur extra Scripturam pro thesauro, carbones reperit.*

Opportunè Examinator carbonum meminit, an unus è Carbonariis? Nimirum carbonum est nigrum colorem inducere; hoc facit ille: Denigrat enim famam R. P. Autoris Scrutinii, & Ecclesiæ totius Romanæ Catholicæ. Carbonum est ut fomitis loco sint igni cineribus in eisdem sepulti. Fomentat ille & fovet ignem cineri doloso dum aliàs in Præf. ait, *ut omnem animi ad injuriam inferendam proclivis suspicionem amoliamur*, & tamen proh quantam R. P. Autori Scrutinii intulit injuriam? Carbonum est crepare & crepitare injecto eisdem sale! crepitat & crepat Examinator ad injectum in Scrutinio Veritatis Salem. Carbonum deniq; est in cinerem & favillam redigi. In favillam cum suâ doctrinâ redigitur ille, dum soli Scripturæ favere videtur, ab omni Judicis favore excludendo Ecclesiam Catholicam. Ex hoc enim unico Principio nullitatem omnium Dissidentium Religionum demonstrat manifestè Scrutinio suo Veritatis fidei R. P. Autor.

Videamus insuper & exsufflemus has carbonum favillas. Inprimis.

primis. Quis unquam Catholicorum somniavit Veritates fidei extra Scripturam scrutandas absolutè & simpliciter, ita scil. ut nullus absolutè articulus fidei in Scriptura reperiri à nobis dicatur, nec ex illa probetur: Cùm manifestè R.P. Aut. Scrutinii asserat S. Scripturam esse normam & regulam fidei, adeòq́; tenet omnes articulos fidei in dicta regula reperiri explicitè vel implicitè. Sed quia à diversis diversimodè articulis fidei applicatur, ob diversam illius explicationem & interpretationem: dicimus nos Catholici præter S. Script. debere dari distinctum regulantem, explicantē, applicantemq́; illam ad veritates seu articulos fidei, adeòq́; distinctum Judicem fidei. Id certè quicunq; nobiscum docet verè pro carbonibus thesauros, qui negat carbones pro thesauro reperit. Deinde. Vbi hæc Propositio Schelgvigii nim: *qui Veritatem fidei scrutatur extra Scripturam, pro thesauro carbones reperit.* Iisdem verbis, vel eodem saltem sensu in S. Scriptura reperitur? En pro thesauro nec carbones, sed favillam, quin merum nihil reperit in S. Scriptura hic Carbonarius. Conf. ait Es. IIX. 20. Id est, (si mihi cōcessum est ænigmata tanta referre) cōfitetur vel cōfirmat Isaias C. 8. V. 20. ubi nim: ait. *Ad Legem magis, & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta Verbum hoc, non erit eis matutina Lux.* Ita est, *ad Legem magis* &c.: at ubi hoc textu pro *thesauro carbones reperit, qui Veritatem fidei scrutatur extra Scripturam?* Vbi hoc toto textu vel unum jota de *Thesauro*, de *Carbonibus*, de *Veritate fidei*, de *Scrutinio extra Scripturam.* Proh quantas hic homo, pro thesauris, non carbones, ast favillas imò nihil vendit & venditat.

2. *Ad Legem magis & Testimonium*; quæ Consequentia? Ergo, inquis Verbum DEI solum scriptum, exclusâ Ecclesiæ autoritate est Regula & Regulans seu Judex fidei. Planè ad rem, ita prout aliàs nugando dicimus, baculus in angulo, ergo cras pluet; Examinator autoritati Ecclesiæ in judicandis rebus fidei detrahit; Ergo Papa Romæ mortuus. *Ad Legem magis & Testimonium.* Proph. remittit

mittit Israelitas, sed nihil meminit Legis scriptæ vel non scriptæ? nihil de rebus, seu quæstionibus fidei? Nihil an illa sit Regula & Judex?

3. *Ad Legem magis ait* Propheta. bene habet: Legem utiq; intelligit veterem, quia de illa utique & ad homines, & de rebus actisque veteris legis loquitur. De lege nova altum silentium. Ergo sola lex vetus norma & regula fidei: in illa sola veritas fidei scrutanda? Quodsi ita: annon pro thesauro carbones invenerit Examinator?

4. *Ad Legem magis*, inquit, *& Testimonium*: nimirum in sensu composito, At quod hoc Testimonium? Nunquid S. Scriptura? at hæc jam immediatè nominata, *ad Legem magis* scilicet S. Scripturam: Quid sibi vult copulativa, *& ad Testimonium.* Nimirum hoc est quod tantopere urget R. P. Aut. Scrutinii. Non sufficit sola lex, seu S. Scriptura, requiritur & testimonium Ecclesiæ; illa sit Regula seu Norma, hæc regulans seu normans. Illa Legis obeat vicem, hæc Judicis ac testium fidei officium. *Qui non dixerint juxta verbum hoc profectò non eis erit Lux matutina.*

5. *Ad Legem magis & Testimonium*, optimè. At quidsi Lex & Testimonium haud clarè aliquid & dilucidis verbis proponat? quidsi varium sensum habeat? quidsi diversæ quin contrariæ & oppositæ illius à diversis fiant interpretationes? atque inde oriantur dubia, lites, controversiæ, uter interpretantium meliùs mentem Legis & Testimonii intelligat, & explicet? quis hic diremtor litis? quis arbiter & Judex? Non ipsa lex: supponitur enim haud dilucidis verbis loqui, diversumque habere sensum. Quis igitur? nunquid privatus quispiam? & non potiùs ipsa Ecclesia Catholica? Quod ipsum fusiùs in Scrutinio Veritatis Parte 1. Discursu 1. & aliàs probari legere est.

6. Denique quid ibi velit Propheta patet ex antecedentibus, postquam enim dixisset: *Et cùm dixerint ad vos, quærite ex Pythonibus,*

bus, & à divinis, qui strident in incantationibus suis: Nunquid non populus à Deo suo requiret, pro vivis à mortuis? tum subdit Proph. *ad legem magis & testimonium &c.* Ubi DEus per Prophetam dehortatur Israëlitas ne pythones & incantatores consilii gratiâ in suis negotiis adeant, sed potiùs sese conferant ad Legem & Testimonium: nimirum per Legem & Testimonium intelligit Legem datam per Mosen: ut scil. secundùm illam ac præcepta Legis sese gerant, & vivant, præsertim, quia pythones interrogare est peccatum contra primum præceptum. Hæc est mens Prophetæ genuina: non autem quasi his verbis velit contendere quòd Verbum DEI scriptum sit Regula & Judex fidei; præsertim cùm nulla ibi fiat mentio Verbi scripti.

Porrò ad confirmandam futilem & frigidam suam thesim seu Propositionem scil. *Qui veritatem fidei scrutatur extra Scripturam, pro thesauro carbones reperit.* Aurei oris thesaurum expilare præsumit Examinator: Sed frustra, quia nec hic ditior factus, pro thesauro meros in capite suo natos carbones reperit. Nam inprimis his duobus testimoniis S. Doct. seipsum in faciem cedit, sibi enim ipsi contrariatur. Non vult enim suâ propositione scrutandam esse *fidei veritatem extra Scripturam,* aliàs eum qui id faciat, *pro thesauro carbones reperturum.* Ipse autem extra Scripturam veritatem huius ipsius propositionis in S. hoc Doctore quærere & reperire contendit. Duo enim ex illo adducit testimonia, idque sat fusè, & energicè cùm ex Script. solùm uno idque solùm annotato loco sit contentus. Deinde illo loco in Matth. Homil 4. *Noli igitur tu quicquam ulteriùs scrutari, sed suscipe quod relatum est, & noli indagare quod tacitum est.* Nihil prorsus de Scriptura, nihil de thesauro, nihil de carbonibus: vim omnem ponit in eo *scrutari*, ideòque majuscula imprimi voluit, at S. Doctor non addit quidquam de Scriptura. Quin si liceat mentem ejusdem explicare, dicam, *tu noli quidquam ulterius scrutari,* seu

ſeu ut Edit. Pariſ. 1570. *inquirere* ſcil: in Scriptura, *ſed ſuſcipe quod relatum eſt*, ſeu ut dicta edit. *revelatum* nim: per traditionem Apoſtolicam Eccleſiæ, *& noli indagare quod tacitum eſt*, ſcil: in Scriptura Et eam quidem mentē fuiſſe S. Patris patet vel ex ipſo cōtextu, quia præcitatis verbis concludit quæſtionem ſingularem de Incarnatione & Generatione Filii DEI, quomodo nimirum peracta ſit? *Quemadmodum* inquit *de Radice Jeſſe proceſſit? quemadmodum Virga? quēadmodum Flos? quemadmodum Filius hominis? quemadmodum Mater eſt* MARIA? *quemadmodum ex David factꝰ eſt ex ſemine? quemadmodum Dominus formam ſervi acceperit? quemadmodum VERBUM Caro factū eſt* &c. *Quoniam igitur ex nobis, i. e. ex noſtra ſit omninò natura, & ex utero Virginali? & per iſta quæ diximus & per alia plura monſtratur? At quo modo non item*, nimirum *non item monſtratur* ex Scriptura: Nam de modo quo peracta ſunt hæc tacet Scriptura. Itaque optimè S. Pater concludit, *Noli igitur tu quidquam ulteriùs inquirere, ſed ſuſcipe quod relatum ſeu revelatum eſt, & noli curiosè indagare quod tacitum eſt.* Scil. in S. Literis, atque ita contentus eſto doctrinâ ab Eccleſia acceptâ & traditâ à majoribus, etſi non ſit expreſſa dilucidè in Scriptura? Quantum enim hic S. Pater præter Scripturam tribuerit traditionibus Apoſtolicis & Eccleſiaſticis, dicam brevi. Sed nec in ſecundo loco pro ſe Examinator theſaurum reperit. Nam inprimis ex Autore Imperf. Oper. in Matth. hom. 49. adfert locum: quem aliàs Autorem cum ſuis non adeò magni facit. Viderit ergo ne pro theſauro carbones repererit. Non planè etiam ſincerè locum hunc adducit, quæ enim interpolatim loquitur S. Pater, in uno non interrupto textu non factâ interpolatione, allegat. Deinde explicans ibi Matth. 23. De *abominatione deſolationis, ſtante in loco ſancto* illam abominationem applicat hæreticis, qui ſcil. Si ſibi ſolis attribuant Eccles. Catholicam docet fugiendum eſſe ad S. Scripturam, utpote quæ illius univerſalitatem ſufficienter demonſtrat. Id quod fecit

cit & Optat Milevit. contra Parmen. Item August. pluribus locis. Insuper optimè *contra hæreses nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium Christianorum aliud, nisi Scriptura Divinæ*, hoc sensu quando scil. illarum interpretatio est manifesta, & in luce: atquè tunc etiam Vera Ecclesia Christi non cognoscenda est, nisi tantummodo per Scripturam: nec ad ullam aliam rem fugiendum esse, nisi ad Scripturas. Sed ubi ex contradictione hæreticorum dubius factus est sensus, & interpretatio Scripturæ, indubiè ad Ecclesiam, tanquam Magistra Vicaria Christi autoritate & Assistentiâ Spiritus S. gaudentem ejusq; Traditionem fugiendum erit, aliàs nunquam finis erit litium & controversiarum. Et hanc quidem omnino mentem esse S. Patris patet, tum quia pluribus locis testatur, ab hæreticis depravari Scripturas Tom. 1. in Psalm. 118. Tom. 2. in Matthæum 24. Homil. 49. Quæ loca citantur in Scrutinio Veritatis Fidei Parte 1. Discursu 3. p. 12. Tum quia Traditiones Apostolicas in Ecclesia approbat. Tom. 2. Homil. 52. Tom. 4. in 2. Tim. I. v. 13. hom. 3. ubi ostendit à D. Paulo Apost. plura absque Scripturis tradita esse. Tom. 4. in 2. ad Thessalon. c. 3. meminit *Traditionis per opera* Tom. 4. in Epist. ad Philip. c. 1. serm. 3. ad fin. *Traditionem Apostolicam* ait *esse in venerandis & horrificis mysteriis orare pro iis qui in fide decesserunt.* Tom. 4. in Epist. 2. ad Thess. c. 2. hom. 4. super illa verba. *Itaq; Fratres tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram* (ait.) *Hinc est perspicuum quòd non omnia tradiderunt Apostoli per Epistolam. Sed multa etiam sine scriptis, & ea quæ sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam. Est Traditio, nihil quærat amplius.* Denique quantum præter Scripturam tribuerit etiam Ecclesiæ his S. Pater audiamus. Tom. 1. hom. in Ps. 118. loquens de hæreticis. *Neque*

ex Divinis Scripturis locuti sunt. Nos autem qui Evangelium sequimur, & rectè de Divinis rebus sentimus, quemadmodum Sancta accepit Ecclesia, sic loquimur, & paulò post, docet nos Traditiones eas quas accepimus retinere, scil. David, illis verbis. Ego autem non dereliqui mandata tua. Dic jam sodes etiam D. Chrysostomum cum Catholicis Carbonarium, qui præter Scripturam ad Ecclesiam sese confert. Ergò & D. Chrysostomus Veritatem fidei apud Ecclesiam scrutans pro thesauro carbones reperit? Ita scilicet; reperit sanè ille thesauros, quia aureum Os ab orbe Catholico dictus; carbones, quin favillas, reliquit Examinatori Scrutinii.

TRUTINA

Numeri 2. ad Dedic. p. 3.

AUt in Congregatione Tridentina per legitimam excommunicationem ejecti sumus ex Ecclesia, aut non. Si posterius; Antagonista per hypotheses suorum nos hæreseos insimulare nequit; quod tamen hic atque alibi passim facit; Si prius; quæcunque nunc excommunicatio ob causas novas, sive in totam Ecclesiam nostram, sive in partem ejus vibretur nihil aliud est, nisi fumi umbra, ficulnus gladius, fulgur ex pelvi; quinimo per excommunicationem novam qui eâdem feriuntur, antehac à Congregatione Tridentina non legitimè excommunicati fuisse declarantur.

Numero hoc 2. cornuto argumento arietare contendis Schelgvigi cõtra R.P. Aut. Scrutinii, at ita ut ipse fœnum in cornu gestare manifestè comprehendaris, uno tamen ictu utrumq; arrogantèr nimis

 elatum

elatum cornu infringimus, Dico enim in Congregatione Trid. legitima excommunicatione ejectos esse omnes hæreticos ab Ecclesia Romana Catholica Dissidentes; nihilominus tamen eos adversâ fronte, & durâ cervice videns Ecclesia patitur, habetque pro toleratis: ita prout Pater discolum filium, Dux militem protervum, Dominus servum procacem, Pastor ovem petulantem & errabundam tolerant, non tollunt, tolerant tamen Pater filium, Dux militem, Dominus servum, Pastor ovem, ut filii licentiam, militis proterviam, servi procaciam, ovis petulantiam, & errorem è medio tollant. Unde etiam licitum est Catholicis præsertim in locis ubi permixti cum hæreticis vivunt, ut hìc in Polonia, Prussia & alibi in Germania, civilia commercia cum iis inire: qui quamvis sint publici & notorii hæretici, habentur tamen pro toleratis, quia non sunt expressè & nominatim denuntiati ita Pirrhing Juris Canonici methodo nova, Tomo 5. lib. 5. tit. 7. Sect. 2. §. 2. N. 24. citans Azor, Sanchez, &c. Atque hoc posito, potest ob novas justas causas Excommunicatio à tota Ecclesia, aut ab Ecclesiæ particularis seu Diœcesanæ Episcopo vibrari in vestram Ecclesiam, ejusdemque particulares personas, & in quoscunque tandem committentes facinus aliquod habens annexam excommunicationem ex C. *Cùm ab Ecclesiarum* 3. de offic. Jud. Ordin. Adeòque poterat hoc anno ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino (quem tacito nomine nimis quàm manifestè peti quis oculatus non vidit?) Domino Casimiro Joanne Opalenski Episcopo Culmensi excommunicari civitas Torunensis ob justas causas recèns ab eadem datas, ipsi Illustrissimo Domino Episcopo notas, fuitque excommunicatio talis. *Censura Ecclesiastica privans eos, in quos est lata à Communione fidelium.*

Etenim præter Papam Supremum Judicem hæreticorum uti & Concilium, Papæq; Legatum à latere, etiam Episcopus est ordinarius

dinarius Judex ratione officii & muneris sui omnium hæretico-rum suæ Diœcesis, sive illi Clerici sint sive Laici Hostiens. in C. *Ad abolendum* q. 11. Singuli Episcopi, & ibi Joann. Andr. n. 3. & Abb. n. 3. h. t. & alii communiter apud Farrinac. tr. de hæresi q. 186. §. 1. n. 5. & constat ex Clement. 1. §. Propter quod ibi, per Diœcesanos Episcopos. h. t. Ratio est, quam etiam adducit Pirrhing cit: Sect. 5. §. 1. Quia ad Episcopum spectat extirpatio hæresis, & lupos à caula ovium arcere: idquè extenditur etiam ad exemptos à Jurisdictione Episcopi, quòd is etiam quoad illos possit cognoscere de crimine hæreses, non ut Judex ordinarius, sed ut Judex delegatus Papæ, juxta cit: C. *Ad abolendum* §. fin. Quodsi igitur Episcopus in sua diœcesi est Judex ordinarius hæreticorũ, quoad ipsam causam hæreseos, Eccur non quoad alias causas v. g. violentæ invasionis, rapinæ, profanationis, atquè possessionis malâ fide templorum Catholicorum de jure ad Catholicos spectantium, imò recèns à Loci ordin. reconciliatorum? Ratio est quia omnes causæ ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram Ordinario Loci in prima instantia decidi, & saltem infra biennium terminari debent. Ita Concil. Trid. Sess. 24. c. 20. per quod ita tradunt Mar. Antonin. Variar. L. 1. resol. 15. n. 3. Franciscus Leo in thes. fori Eccles. part. 2. 6. 1. n. 70. Noster Piasecius in Praxi nova Episc: p. 2. c. 4. n. 3. & plurimi alii citati à Barbosa de Officio & Potest. Episc. part. 3. alleg. 81. n. 1, 2. Atqui violenta invasio, rapina, profanatio, atquè possessio malâ fide templorum de Jure antiquo, quin ex superabundanti ab Loci ordinariis per Juris processum in Curia S. Regiæ Majestatis evicto, ad Catholicos spectantium, imò etiam recèns, à Loci Ordinario reconciliatorum: est Causa ad forum Ecclesiasticum pertinens, Ergo coram Loci Ordinario in prima instantia decidi, & saltem infra biennium terminari debebat. Quodsi verò in tali casu & causa subditos, inobedientes, quin contumaces, & refractarios,

quia

quia ad prævium citationem, neque sese sistere ad audiendum & respondendum, nec ejusdem Judicio subdere volentes reperiat Episcopus, quis neget eum Excommunicationis fulmen in eosdem vibrare posse? De Apodosi seu hypothesi nolo multa verba facere: Hoc enim ipsum in se continet, quod thesis loquitur, Causa Thoruneensis. Quæ quo nomine ab Examinatore huc adducta planè non intelligo, nisi illo artificio, quo apud Poëtam *amphora cœpit institui, cur urceus exit?* Quid ad hæc Schelgvigi? Annon tot tuæ metaologicæ illationes & consequentiæ meri sunt paralogismi? Hæccine è contra quæ à nobis afferuntur, tibi fumi umbra, ficulnus gladius, fulgur ex pelvi? Ignosce! quin tuus ille cornutus Syllogismus (cùm adeò tibi in agglomeratis complaceas adagiis) est cornix Aquilam provocans, nebulæ in pariete, nummus plumbeus, Carica musa, pastus tinearum; denique si tibi plura arrident, Centuriæ adagiorum Erasmi affatim suppeditabunt.

TRUTINA

Numeri 3. ad Præf. 1. p. 25.

QUòd Lutherus ut Antesignanus, Anabaptistis, Mennonistis, Serveto, ac Socino caduceum & facem prætulerit perversi ingenii commentum, seu ut quod res est, calumnia est.

Quomodo turbatus oculus inquit Clemens Lib. 7. Strom. *ita etiam anima conturbata, non potest Veritatis lucem perfectè videre, quin etiam ea quæ sunt præ pedibus ægrè intuetur.* Solum itaque vitium in turbato oculo sufficit, ne objectum ita cernatur & discernatur, ut cerni ac discerni ex natura sua requirit. Viciato, turbatoq; oculo Examinator R. P. Autor. Scrutinii intuitus, & *perversum ingenium*, & *calumniam* in eodem, ut perversè vidit, ita temerè affinxit: Non perversi ingenii commentum, nec ca-

lumnia est Veritatis testimonium. Callum in Pseudologia obduxit, qui calumniam ei objicit, cui Veritas pro columna & firmamento: ita ut quod Examinatore approbante rectè dixerat R. P. Autor. Scrutinii in Præfat. 1. p. 7. *Non est excelsi & generosi animi sed veriùs abjecti, ac è trivio nati, verbo hominis tressis, alieno nomini maculas inspergere, toto haud facilè abstergendas oceano. Sola falsitas tum sese vel maximè prodit, cùm seipsâ stare impotens, in subsidium advocat maledicentiam.* Id totum sibi dictum accipiat Examinator. Etenim mentem R. P. Autoris Scrutinii malè & perversè commentatur. Est hæc commentatio ipsius perversi ingenii commentum. Cùm enim R. P. Autor Scrutinii ait, *Lutherum ut Antesignanum Anabaptistis, Mennonistis, Serveto, ac Socino caduceum, & facem prætulisse,* non hic est ejus sensus, quasi Lutherus omnia & singula dogmata horum hominum docuerit & tenuerit: id quod tanquam commentum perversi ingenii perversè affingit eidem Examinator. Sed quòd Lutherus (quem præterito seculo classicum pro reformatione Ecclesiæ occinuisse lippis & tonsoribus notum est) assumpto illo pro eadem reformatione primo Principio, *Solum & unicum Verbum DEI scriptum est Regula, Norma & Judex fidei exclusâ Ecclesiæ Autoritate:* ex quo ipse certum fidei Symbolum, seu Confessionem, certaq; dogmata, & Articulos, confecit, quos ipsam Apostolicam, Evangelicam, ac ipsius Christi D. Doctrinam esse asserebat: assumpto, inquam, hoc primo Principio, ansam occasionemq; præbuerit illis omnibus diversos planè toto cœlo Articulos fidei, Symbola & Confessiones procudendi super unius ejusdemq; planè ut ita loquar, incudem Principii. Etenim nulli vel leviter in quæstionibus fidei controversisticis perito non constat, omnes hos Calvinianos, Anabaptistas, Socinum, Quakeros, &c: ex eodem principio sua Symbola, Confessiones, seu Articulos fidei confecisse, eosq; ab unoquoq; vel ideò Apostolicos, Evangelicos ipsius

Christi D. habitos. Quis igitur non dicat cum R. P. Aut. Scrutinii *Lutherum præterito seculo, caduceum & facem prætulisse iis omnibus.* Unde omnes & singuli hoc vel simili modo argumentabantur v. g. Socinus. *Solum Verbum DEI scriptum est regula, norma, & Judex fidei exclusâ Ecclesiæ Catholicæ autoritate, ita ut quidquid claris & disertis verbis loquitur, id tanquam articulus fidei sit credendum, secus si non claris, & disertis verbis quidpiam edicat.* Subsumebant, Atqui, *in DEO dari Tres Deitatis personas:* Item *Filium esse consubstantialem ab æterno Patri: dari Sacramenta* &c. *S. Scriptura claris & disertis verbis non edicit.* Neque enim ullibi in Scriptura hoc Verbum seu Nomen *Trinitas, Persona, Consubstantialis, Sacramentum,* &c. exstat claris & disertis verbis. Ergo *non est credendum.* Subsumebant item Anabaptistæ, subsumuntq;. Atqui *nullibi S. Scriptura claris & disertis verbis docet infantes esse baptizandos, Confessionem peccatorum instituendam coram Ministro*, &c. contra claris verbis docet *lotionem pedum, non esse jurandum neq; pugnandum*, &c. Ergo hæc non illa sunt credenda.

Subsumunt denique Quakeri alios suos fidei articulos negantque manifestè ex eodem Principio *SS. Trinitatis personas, baptismum aquæ, Sacram Cœnam,* & cætera similia. Ita igitur clarè patet *Lutherum caduceum & facem ut antesignanum prætulisse omnibus.* Etenim ille censendus est ut Antesignanus caduceum & facem præferens Calvino, Mennoni, Socino, Quakeris &c. in rebus & materia fidei, qui primus est Autor primi Principii, ex quo pro reformatione Ecclesiæ, suas Confessiones, & dogmata fidei omnes confecêre Calvinus, Menno, Socinus, &c. Hoc etenim per antesignanum è hujus vocis etymologia intelligi constat. Atqui Lutherus est primus præterito sæculo Autor primi illius toties dicti Principii fidei, ex quo pro Ecclesiæ reformatione suas Confessiones & dogmata fidei confecêre Calvinus, Menno, Socinus, Quackeri; ut etiam constat toti orbi. Ergo Lutherus primus

præterito

præterito seculo tanquam antesignanus caduceum & facem prætulisse Calvino, Mennoni, Socino, Quakeris in rebus & materia fidei censendus est. Et hoc quidem satis sit pro justificatione & vindiciis R. P. Autoris Scrutinii, quòd ejus de Luthero effatum longè sit à perversi ingenii commento, & calumnia; adeò ut quidquid in defensionem Lutheri adfert Examinator meræ sint cassæ nuces, Tricæ Apinæ, ranarum palustrium cantiones, ut proinde aut melius iis responderi possit, quàm silentio: Ut ita os taciturnitatis honore signatum retineamus, Tert. de Patient. c. 15.

TRUTINA

Numeri IV. ad Præfationem 1. *p.* 6.

Singularem mundi contemptum, eximium sui in tribus religionis votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ supremo Numini oblatis holocaustum, stupendum humilitatis cæterarumq; Christianarum Virtutum exercitium, imitationemq; DEI & Salvatoris nostri in novis (Pontificiorum) ordinibus, præsertim Jesvitico, nemo videt aut admiratur, nisi qui æra à Lupinis i. e. hypocrisin manifestamq; impietatem à pietate discernere nescit.

Hìc jam pestilentissimum virus suum, genimen vipereum evomuit: Hic id quod sibimet ipsi accommodatiùs initio hujus famosi libelli inscripsit *fel, cordis atri palliatum sesamo* effudit quando maledicentiâ & pseudologiâ penitus imbuto ore talia effutiit. Parum illi fuit Ecclesiæ Catholicæ venerandos, sacros, DEoque dicatos Ordines despectui habere, nisi etiam sigillatim impiissimo impudentissimoque (quod modestæ aures audire horrent) convitio insignitè incesseret insignem Ordinem Jesviticum, seu Societatis JEsu, ut se ex illorum divitum numero esse ostenderet, de quibus Poëta dixit:

Isthic est Thesaurus stultis in lingva situs,
Ut quæstui habeant malè loqui melioribus.

Itane verò tibi irreligiose Vir Religiosorum omnium ac præcipuè Societatis JEsu, singularis mundi contemtus, tria Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, vota, humilitatis, cæterarumque Christianarum virtutum exercitium, imitatio Domini Salvatoris nostri, hypocrisis quin manifesta impietas? Hypocrisis igitur imò impietas tibi est id quod Christus D. svasit. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo* Matth. 29.21. Et, *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, tollat Crucem suam & sequatur me.* Matth. 16. 24. Et, *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut Patrem aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut Agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. 27. Et, *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt, propter regnum Cœlorum, sed non omnes capiunt verbum hoc.* Quæ verba explicantur à Sanctis Patribus Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino de voluntaria Virginitate & Castitate. Vide Bellarm. de Monachis lib. 2. cap. 9. Hypocrisis imò impietas tibi est quod fecêre Apostoli: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus Te.* Matth. 19. 27. Id quod illorum exemplo faciunt omnes Religiosorum & Societis JESU Ordines. Hypocrisis imò impietas tibi id quod præcipit DEus. *Si votum voveris ne moreris reddere, quia requiret istud Dominus.* Deut. 23. 21. Item apud Psalmistam. *Vovete & reddite.* Pf. 75. 12. Non impietas, sed pietas tibi, *manum* (contra Domini monitum) *mittere ad aratrum & respicere retro aptusq; is est Regno DEI.* Luc. 9. 62. Hypocrisis quin impietas tibi vita casta Deo dicata, adeòque qui è consilio D. Pauli, *non jungit matrimonio Virginem suam*, non *meliùs* sed pejùs, quin impiè facit; nec *beatior*, quin magis maledictus & impius erit *si sic permanserit secundùm consilium ejusdem* Apostoli. 1. Cor. 7.

Insuper Hypocriseos & manifestæ impietatis tibi audient Autores Sacrorum Ordinum Fundatoresque Antonius; Basilius, Au-

us, Augustinus, Benedictus, Dominicus, Franciscus; & cæteri, Ignatius deniq; Patriarcha & Fundator Societatis JESV. Meras ac manifestas impietates, te scilicet arbitro! sectati sunt tot Eremitæ, tot Cœnobitæ, tot DEO consecrati Viri, Virgines, ac mulieres, mundum ac secularia desideria contemnentes &c. Votis continentiæ, obedientiæ, & paupertatis voluntariæ sese DEO obstringentes. Meram ac manifestam impietatem defenderunt, qui tantis ad sidera encomiis evexerunt continentiam & castitatem, eandem testimoniis S. Scripturæ comprobantes SS. Patres & Doctores Ecclesiæ. Ignatius Epist: ad Thess. & Antiochen. Dionysius Eccles. Hierarch. cap. 6. Martialis Epist. ad Tholos. cap. 8. Clem. Alex. Strom. 3. Origin. Homil. 23. in Numer. Hilar. in Psal. 64 Eusebius vita Constant. Cyprianus de habitu Virg. Item in Isaiæ 56. Caput, ubi de Eunuchis voluntate non naturâ, aut abscissione verba Prophetæ exponit, & cum illo Hieronymus. Hic item lib. 1. contra Jovinianum. Athanasius lib. de Human. Verbi. Augustinus lib. de sancta Virginitate. Basilius lib. de vera Virginitate. Item Constitut. Monast. &c. Ambrosius in exhortatione ad Virgines. Gregorius 3. Parte Pastor: Chrysostomus in Matth. 19. & aliis locis. Cassianus, Bernardus, Thomas, & innumeri alii, qui omnibus seculis de hoc laudabili vitæ genere scripsère libros, posterisque perennatura, & vitâ, & scriptis firmata, reliquêre monumenta.

E contrario pietas per te non impietas manifesta statum Monachalem, religiosumq; Ordinem vituperare, repudiare, rejicere, diris deniq: devovere vota religiosa, &c. Nimirum hoc planè eximiæ pietatis fuit documentum olim antiquorum hæreticorum, Donatistarum, qui teste D. Augustino insultantes Monachis dicere consveverant. *Quid sibi vult Nomen Monachorum?* in Psalm. 132. & *Petilianus Donatista*, inquit, idem *perrexit ore male-*

dico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ fuerit à me institutum l. 3. cont: Petil. c. 40. Huic & tu Donatistæ tuum donâsti nomen, quando velut dicto Sacramento contra Sanctum Religiosum statum nihil nisi impietatem maledico & impio ore spiras, ipsamque Societatem JESV apertè atquè ejusdem Filium R. P. Autorem Scrutinii tacitè hypocriseos, quin manifestæ impietatis accusas. Sic olim & Ariani debacchabantur in statum Monasticen teste Ruffino lib. Hist. 11. c. 5. Quorum & Valens Imperator Arianus osor erat execrabilis, ut Hieron. in Chron. Hujus vestigiis institit Imperator Constantinus Copronymus, cæterique veteres Iconomachi. Post hos aliquot seculis interpositis Joannes Wiclef contra Religiosorum Ordines, ipsa acheronta movit, Diabolico odio *omnes ad unum à Diabolo introductos*, mentiendo, & Augustinum, Benedictum, Bernardum, *ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint, quòd Monachi & Patres Monachorum fuerint*, ut legitur in articulis illius in Concilio ad Constantiam reprobatis. Tandem Successor horum egregius Lutherus hæres etiam suorum prædecessorum malevolentiæ factus cane pejus & angve odio habuit Monasticen, & statum Religiosorum. Adeò ut in Epithalamio illo suo, ut ait Card. Bellarm. cit: in Præf. l. 2. de Mon. *plùs quàm credi posset obscœno & sordido quod in cap. 7. Epist. prioris ad Corinth. scripsit, qui Cælibem vitam in monasteriis ducunt, eos omnes Idolo Moloch corpora sua cremare confirmet*. Et in eodem libro *statum Religionis nihil valere, sed Ethnicum, terrenum, secularem, ac veluti lutum* esse dicit. Hujus, qui ejuratâ religiosâ vitâ, abjectoq; Monastico Cucullo, Baccho, Veneriq; intimè sese dedicaverat, Tu Nepotulus, nihil ab eodem differens genuina Atavi gerens lineamenta, hypocrisi ipsiq; Deæ impiorum impietati statum Monasticum religiosum ac cœlibem addicis! At audi illi tibiq; severâ voce seriò intonantem Isaiam Cap. 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes*

mentes tenebras lucem & lucem tenebras, *ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nimirum omnibus à Christo Domino Nato sæculis Vita Monastica, votaque religiosa habita sunt, non aliud quàm *bonum, lux, dulce*, contra horum Violatio, *malum, tenebræ, amarum*. Luthero & tibi hæc, *bonum, lux dulce*; illa, *malum, tenebræ, amarum*. Quid aliud uterque insignis Morpheus, ipse jam spectat; Tu exspectas quàm Væ, Væ, Væ, æternùm. De hoc argumento quàm *prolixè*, ut tu ais, tam ego ajo non solidè sed vitro aut ovo fragiliùs egit Nicolaus Hunnius, gallinâ dum ovum excludit, glocitante loquacior, pellemque ovinam quam & tuis oculis visus est Ecclesiæ Catholicæ detraxisse, ipse omninò lupo rapacior induit.

Quia verò thesis tua eadem scil: impietate, quâ manifestæ impietati addixisti, omnes novos religiosorum Ordinum status, etiam, & quidem præsertim Jesvitici seu Sociorum JEsu mentionem facit, necesse est, ut ejusdem sigillatim nervosè causam agamus. Ergòne huic tu Ordini impietatis notam turpiter inuris, cujus omnes pii & boni pietatis splendorem universam Ecclesiam longè latèque illustrantem suspiciunt: At qui sunt illi quibus tu jurato fœdere junctus ungvi & carbone hanc sanctam Societatem impietatis notare præsumpsisti? Valerianus, inquis, Magnus. Magnum nimirum tibi ex eo Jovis Incrementum assurexisse existimas, qui suum Magni Nomen minus valere, vel hoc Nomine demonstravit, quia magnum in Ecclesia Maximi Nominis Ordinem minimæ tamen Societatis titulum ex humilitate ambientem parvi fecit. At verò huic uni Viro, quia quantumvis plures darentur, opponit sese Religio Carthusiensium, quæ initio statim fundatæ & erectæ Societatis cum eadem *peculiaris amicitiæ fœdera sancienda, thesaurosq; interiores suos omnes, & bona cuncta Spiritualia Societati communicanda* decrevit. Hist. Societ. 1. Tom. L. 4. n. 107. & ap. Ribaden. in Vita S. Ignat. L. 3. C. 12.

Oppo-

Opponit Monast. Montis-Serratis S. Benedictinorum Familiæ, quod itidem Societatem *in consortium & partem omnium sacrorum bonorum Spiritualium admisit.* Hist. Societ. 2. p. L. 2. n. 147. Opponit Ordo S Ordinis Theatin. Cler. Regul. Hist. Societ. L. 12. n. 13. Opponit S. Ordo minorum S. Francisci cum integro Capitulo generali Anno 1565. celebratum, decernens *omnibus ut præcipuè erga Societatis JEsu alumnos officiosi essent Sectatores, eosq; deberent diligere, colere, ad publicas disputationes vocare, ad solemnia Sanctorum Ordinis festa, nullusq; auderet apertè aut clanculùm eorum vivendi piissimam normam sugillare.* Ribaden. Vita S. P Ignatii L. 3. c. 17. Opponit Ordo Clericorum Regularium Bernabitarum Mediolanensium Hist. Societ. l. 16. n. 124. Opponit eximius Ordo Prædicatorum, qui per Fr. Franciscum Romæum Generali literis datis excitatus est *ad singularem Societatis amorem, & venerationem.* Hist. Societ. 1. p. L. 8. n. 5. Opponit se ex eodem S. Ordine F. Domin. Gravina Magister Ord. in voce Turturis p. 2. c. 30. Opponit ex illustri Augustiniana Familia Mag. Fr. Joannes Marquez in Gubernat. Christi l. 2. c. 24. Ex S. Calceati Carmeli Ordine Fr. Joannes Baptista Lezana opusc. de Concept. Virg. M. c. 2. Ex insigni item Carmeli Discalceati Familia Fr. Thomas à JESV. In opere de procuranda salute omnium gent. L. 2. c. 5. Ex S. Minorum S. Francisci de Paula Relig. Claudius Pangotius in comm. l 1. Reg. c. 1. ad vers. 28. Ex S. Clericis Regul. Oratorii Ordine Thomas Bozius Tom. 1. de sig. Eccles l. 6. c. 3. Ex illustrissimo insuper Ord. Cistercensium Fr. Ludovicus de Strada in Apologia pro Societ. Taceo innumeros alios quorum omnium Nomina angusta hæc charta haud capere potest: Scripta tamen sunt, ut spes est non vana, in Libro viventium. Qui volet videat Crisin de Societ. JEsu, Aut. Andr. Mendo Ao 1666. Lugd. Præter hunc Valerianum Magnum in tot magnarum Religionum oculis parvum effectum ais *Sorbonistas Jesvitici Ordinis hypocrisin & impietatem* propalâsse; ac inprimis

mis M. Antonium Arnaldum. At credo nec nominâsses hunc si Apologiam Francisci Montani pro Societ. JESU in Gallia contra hujus Antonii Arnaldi Advocati Parisiensis Philippicam legisses. Verùm ut vulgò fert humanæ ac vel ideò inconstantis naturæ conditio, cogitationes posteriores plerumque sunt meliores prioribus. Idem planè videre est in celeberrima toto orbe Academia Parisiensi, quæ etsi adversum Scholam Societatis elapso dudum tempore durum ediderit decretum, quod tamen Hispana Sanctæ Fidei Inquisitio in sua ditione prohibuit. Ribaden. in Vita S. Ignatii. L. 4. c. 11. nihilominus *quadraginta post annis cùm Societas in Gallia maximè ab hæreticis* ut Rex Henricus IV. testatur in Apologia pro Societate *quateretur*, hæc insignis Academia Parisiensis judicium protulit eam omnino fore retinendam apud cit. Mendo, in Crisi Societ. §. 7. Adducis præterea alios Autores, at tales qui aut quia aperti erant inimici, ex affectu livido, quos inter numerãdus is qui mecum ejusdẽ agnominis non animi; aut quia instituti Societatis ignari, ex opinione vulgi vel propria; aut quia ejusdem desertores, viperino animo etiam viscera matris rodente, multa in chartam effudêre, multa in lucem dedêre, quæ satiùs tenebris sepulta, aut adhuc in vivis cum tempore meliora sapientes, aut aliquando post hanc vitam in severo DEI Judicio maluissent. Certè exstant non paucorum libri revocatorii, cùm ad cor seriò etsi serò rediissent: quos inter vidi apud R. P. Aut. Scrutinii Retractationem P. Petri Jarrigii solennem gallicè typis vulgatam sub titulo, Retraction du Pere Pierre Jarrige de la Compagnie de JESUS retirè de sa double Apostasie par la misericorde de Dieu A Anvers M. DC. L. Verumenimverò si æquo judicio cum his & quibuscunque aliis Societatis hostibus certari deberet auditis illis ab una contra Societatem, audiendi ab alia parte forent, & alii testes; & utri partium major fides adhibenda, tandem decernendum. Ac proinde (ut cum Joanne

Argento ejusdem Societatis in Provincia Poloniæ Præposito Provinciali de rebus Societatis JESU in Regno Poloniæ ad Seren. Sigismundum III. Poloniæ & Sveciæ Regem anno 1620. loquar)
„ altissimum quasi veritatis montem animo conscendamus & in-
„ de velut ex specula mente & cogitatione orbem universum
„ circumspiciamus, omnium ora & studia intueamur, & quinam
„ Societatem JESU vel utilem dicant, vel noxiam affirment, di-
„ ligenter attendamus: Ut sic autoritas autoritati, testimonia
„ testimoniis, homines hominibus, velut clypeos telis eo-
„ rum retundendis, quin etiam retorquendis apponamus: quo
„ fiet, ut velint, nolint æqui Judices, verùm à Societate, fal-
„ sum ab hostibus stare fateantur; modò concedant quòd sapi-
„ entes omnes concedunt unicuiq; in sua arte credendum, & sicut
„ cœcus non judicat de coloribus, sic cùm de bono publico, de
„ Reipublicæ incolumitate, & recta Principum gubernatione a-
„ gitur, non quoslibet audiendos, sed peritos, sed sapientes,
„ sed eos qui cum laude ad Reipublicæ clavum sedent in consi-
„ lium adhibendos.

Statuit itaq; in conspectum nostrum hic autor & præcitatus Mendo. Statuo cum his, & ego inprimis Romanos Pontifices. Paulum III. Anno 1540. 5. Cal. Oct. Societatis institutum primùm confirmantem, approbantem, benedicentem in Bulla quæ incipit *Regimini militantis Ecclesiæ.* Tum idem præstantes Paulos alios duos, unum Julium, unum Marcellum. Duos Pios, IV. & V. unum Sixtum, unum Clementem. Duos item æternâ memoriâ dignos Gregorios XIII. & XIV. Mendo insuper adducit reliquos Pontifices Gregorium XV. Urbanum VIII. Alexandrum VII. In literis ad Rempubl. Venetam scriptis deposcentem, ut restitueret Religiosos Societatis JEsu olim inde ejectos: id quod etiam tanti viri autoritas effecit. Statuo cum his summis Ecclesiæ capitibus & Generale Concilium Tridentinum, à quo singulare

lare laudis & confirmationis privilegium reportavit Seff. 25. c. 16. Concilium item Tarraconenſe Anno 1600. Epiſt. ad Clementem VIII. Statuo ex purpuratis item Patribus Cardinales inprimis Præſides Concilii Trident. IV. Herculem Gonzagam, Hieronymum Scripandum ex D. Auguſtini clariſſimo Ordine, Stanislaum Hoſium & Stanislaum Simoneta Hiſtor. Societ. 2. par. lib. 6. n. 29. Cardin. S. Carolum Barromæum, Cardin. Cæſarem Baronium, Card. Wilhelmum Alanum, Cardin. Lotharingium. Cardinalem Ludovicum Ludovicium Vice-Cancell. S.R.E. Statuo plurimos Antiſtites, Archiepiſcopos, Epiſcopos, quos videre eſt apud cit. Mendo § V. Et ne prætercam domeſticos. Cardinalem Hoſium primi in Regno Poloniæ Brunsbergenſis Collegii Fundatorem. Tum Andream Noskowski, Pultoviæ. Valerianum Vilnæ. Adamum Konarski, Poſnaniæ, Stanislaum Karnkowski, Caliſſii. Torunii, Petrum Koſtka, & Petrum Tylicki cum Vener. Virginum S. Benedicti Culmenſi Monaſterio, & Civitatis illius Parocho Andrea Markowski. Gedani Hieronymum Rozrazewski. Luceoriæ Martinum Szyſzkowski, & Paulum Wołucki. Camenecii Andream Prochnicki. Bidgoſtiæ Casparum Działynski, cujus dein fundationem auxit Magnus Polonorum Tullius Cancellarius Regni Oſſolinius. Statuo tot Auguſtiſſimos Imperatores Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum, Rudolphum, Matthiam, Ferdinandum item II. III. atque in præſens Imperatorem Leopoldum I. Qui omnes quantum Societatem æſtimaverint, amaverint, promoverint, novit Orbis Europæus. Quid dicam de Sereniſſimis Regibus Hiſpaniarum, Portugalliæ, Franciæ: hos inter Teſtimonium Henrici IV. præterire haud poſſum: qui ejectam è Gallia Societatem Jeſu reſtituit iterum ſuo Regno, & ſimul pro illa ſcripſit Apologiam ad Senatum Pariſienſem, quam citat Poſſevinus in ſuo Apparatu Verbo Societas JESU: ubi inter alia eximia quæ Societati dat Encomia Rex, ita ait; *Obſervavi autem*

cùm de his restituendis loqui cœpi, duo inprimis genera hominum restitisse, hæreticos & improbos Ecclesiasticos. Nec quidquam detrahitur statui Ecclesiastico, summa digno veneratione, quod inter innumeros probos aliqui improbi reperirentur, Ait item. *Summa hæc est, Jesuitæ sunt ejusmodi, ut probis omnibus accepti sint, improbis autem odiosi: Veruntamen his atque illis utiles; Universæ porro Ecclesiæ Christianæ pernecessarii; ac planè liquet ingentes Indiarum tractus, totque Hæreticorum regiones ad Catholicam fidem per eosdem accessisse.* Addit insuper. *De moribus Jesuitarum nihil esse, quod obloqui quisquam possit.* Ita Possev. cit. in Appar. Ipse etiam Rex summè lætatus est, (ut narrat Henricus Titzimon in Britannomachia l. 2. sub fin. præf.) cùm ei oblatus Catalogus nominum & cognominum sexaginta sex millium hominum quos Patres Societatis JEsu in Gallia paucis annis à Calvinismo ad fidem Catholicam converterant.

Quid dein dicam de Sereniss. Regibus Regni nostri Poloniarum 3. Sigismundus Augustus Anno 1565. Die 8. Octobr. publico Societati privilegio dato quid de Societate sentiret, quidve ex ea speraret luculenter exposuit apud cit. Argentum pag. 382. Huic succedit Stephanus qui tot illi Collegia fundavit Rigæ, Derpati, Polociæ, Claudiopoli, Varadini, Alba Juliæ. Diploma quoque insigne dedit eidem pro Novitiatu Cracoviæ. Sigismundus III. eidem domos, Novitiatus, Collegia & magnificentissima Templa exstruxit, Orsæ, Vilnæ, Cracoviæ. Sigismundi Filii, duoque Fratres in Regno Successores Vladislaus, & Casimirus hæreditario quodam Parentis favore & honore Societatem sunt prosecuti; atque ille Novogrodeci, hic Resselii Fundator Collegiorum exstitit. Nec minùs etsi brevitate annorum interclusum Michaëlis propensum affectum experta. Et nunc feliciter regnans Joannes III. utinam quàm diutissimè! quàm fortunatissimè! quantâ gratiâ & favore prosequatur Societatem, paucis verbis haud describi potest.

Statue-

Statuere hic insuper possem de Societate Judicia & Testimonia tot Principum Virorum, tot Spiritualium, tot Religiosorum, tot Scriptorum, qui de Societatis JESU Pietate, doctrina & fructu luculentissimi testes esse possent, nî brevitati studerem: remitto curiosum Lectorem, atque ejusdem Societatis amantem ad præcitatos Autores, Argentum, Mendo, Possevinum. Item Francisci Montani Apologiam pro Societ. Iesu in Gallia, contra Antonii Arnaldi Advocati Parisiensis Philippicam. Aliam item Apologiam pro Societ. Jesu ex Regno Bohemiæ immeritò proscripta. Item Nobilis Poloni pro Societ. Iesu Clericis Orationem in ficti Equitis Poloni in Jesuitas Actionem I. Item Vindicias Doctrinæ Societ. JEsu à calumniis Patroni Torunensium Anonymi Autore Georgio Tyszkiewicz ex eadem Societ. Theol. Doctore, cæterosque Libros, illorumque Autores, quorum bene longus Catalogus testium melioris notæ confici posset, quàm qui adductus est hostium contra eandem ab iniquo Examinatore.

Appello itaq; affectu partium haud laborantem Lectorem, decernat, an & quantum Adversariis Societatis credendum sit? quos inter novus cum hypocrisi & impietate manifestè eidem afflictâ contra illam erigit caput, vel ideò parum pius Examinator.

Cùm enim toti, ut verbis præcitati Argenti pag. 399. utar, „ suspicione, odio, fictione, conviciis, maledictis, falsitate sint „ compacti; patet non parùm, non multùm, sed nihil fidei illis „ esse adhibendum. Abiit enim in Proverbium: *Mendaci ne ve-* „ *rum quidem credendum*, & à magnis Viris audivi: *Carpere assve-* „ *tos multa mentiri solitos.*

Non à proposito meo demum fuerit hoc loci attingere causas, ob quas hæc Societas Jesu adeò impugnetur ab Adversariis, præsertim Dissidentibus à Romana Catholica Ecclesia: audiamus illas ex ore Laurentii Surii, in Compendio historiali ad Annũ Christi 1540, hæc habet, *Nihilominus non desunt pio huic instituto mul-*

ti neutiquam probandi calumniatores & obtrectatores, ex his præsertim, qui se Evangelicos dici quàm Evangelicos præstare malunt. Vident enim suis conatibus indies magis & magis ab hujus Instituti viris obviam iri. Vident multos de suo grege detractos, ad Ovile Christi reduci. Vident non paucos Catholicos superioris vitæ impuritate, & fœditate damnatâ redire ad studium puritatis & innocentiæ. Vident denique non solùm vitæ integritate, sed etiam multiplici & rarâ eruditione plerosque hujus Societatis adeò instructos. Hinc plusquam Vatinianum eorum in hanc Societatem odium. Hinc illa convitia probraque jactandi sæva libido: quòd cùm revera mores reprehendere non possint in Societatis nomen petulanter incurrunt. Inprimis autem JESU Wider Germanicè tanquam JESU adversarios vocant. Quasi verò ejusmodi cavilla quidquam noceant laudatissimæ Societatis Patribus, & non potiùs Sectariorum petulantiam declarent.

Vide Examinator Scrutinii quò te tandem noxio contra Religiosos Ordines præsertim Societatem JESU toxico imbutus animus velut ferox laxatis habenis equus adduxit, ut id voces *hypocrisin*, quod est *æmulari charismata meliora*, per imitationem & expressionem Domini Salvatoris nostri, qui nobis factus est Archetypus & Exemplar vivendi. Id apud te audiat *manifesta impietas*, quod optimi quique omnibus temporibus pro vera pietate habuerunt, prædicârunt, venerati sunt. Vide ne propter tantam tuam insaniam te in insensatorum numero repositum cernens, serâ pœnitentiâ ductus eandem fateâre. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos sors illorum est.* Sap. 5.

TRUTINA

Numeri V. ad Præf. 1. p. 6.

Cum vincula votorum Monasticorum (ut Antagonistæ verbo utar) sacrilegè nectantur à Pontificiis, sequitur eadem licitè rumpi ab Ortho-

Orthodoxis. Neq; absolutione Papali opus habent, quibus DEus ipse libertatem concesſit.

Rectè D. Chryſoſtomus Tomo 2. in C. 7. Matth. homil. 17. *Canis naturale eſt improbrum eſſe, nunquam vocem mittere propter aliquam alteram cauſam, ſicut cætera animalia, niſi ad abigendos ſupervenientes: interdum autem & de ſuperfluo in aërem latrat. Tales ſunt omnes gentiles vel hæretici inapprobabiles, latrantes, plurimùm adversus Servos DEI. Latrantes aliquando & adversus DEum blaſpemiis, ululantes apertè, & nunquam os ſuum aperientes ad bonum, ſed ſemper ad malum.* Vivis planè umbris depictus eſt à S. Patre Examinator toto Examine ſuo non Criminator & Calumniator duntaxat, ſed etiam Impoſtor. Prô quanta hæc impoſtura! quòd R. P. Autoris Scrutinii verba ſint hæc: *Vincula Votorum Monaſticorum ſacrilegè necti à Pontificiis.* Quando unquam hæc ille ore effatus, aut calamo exaravit verba? Præf. inquis 1. p. 6. Atqui eo loco contrarium loquitur, non quòd ſacrilegè nectantur vincula Votorum Religionis; hoc enim ne ſomniavit quidem, cùm ipſe ſe vinculis hiſce non ſacrilegè certè, ſed ſacroſanctè innexum ſentiat; ſed potiùs *hæc*, inquit, *Voterum Religioſorum ſacrata DEO vincula ſoluta eſſe, ſeſeq; ab eisdem ſacrilegè plenariâ Indulgentiâ, an licentiâ? abſolviſſe eos ipſos qui his ſacris vinculis conſtricti fuerant:* qualis fuerat Lutherus & ejus Aſſeclæ. Quâ fronte, quo animo, quâ Juſtitiâ? Bone (ſi bonus dicendus es ob tot tua hocce libello famoſo maledicta & ſcripta) Examinator, tantam impoſturam Scrutatori Veritatis affingere præſumpſiſti? Et dabitisne adhuc Domini Lutherani fidem tam malæ fidei homini! Videte ne malo veſtro & ſuo, ut R. P. Autori, ita & vobis imponat, fucum pro nativo colore venditet, falſum pro vero annuntiet. Hinc jam ſe non Impoſtorem ſolùm, ſed & Paralogiſten manifeſtè demonſtravit, tota ſua theſi & hypotheſi. Theſi quidem inprimis dum ait; *Vincula votorum Monaſticorum* (non ut

R. P.

R. P. Autoris Scrutinii verba sonant, sed ut ipse Examinator confingit) *sacrilegè nectantur à Pontificiis.* Ergo *eadem licitè rumpuntur ab orthodoxis*; scilicet? Ergo neq; *absolutione Papali opus habent, quia illis DEUS ipse libertatem concessit.* Hoc nimirum de toga ad pallium, ab equis ad asinos, quin sic itur ad Astra! & hoc est Locrense, hoc Phœnicum syntema, hæc Thracum fœdera, demum sacrilegum dogma est hominum, quibus nec ara, nec fœdus, nec fides, sed fœda vivendi licentia. Enimverò neq; vincula Votorum Monasticorum sacrilegè nectuntur, nec licitè eadem rumpuntur ab Orthodoxis, neque ea rumpendi DEUS libertatem concessit, neq; absolutione Papali dissolvi unquam possunt. Saltem verisimilia menti Prudentum si non tuæ apparentia mentiri poteras Examinator? cum illo qui

Plurima narrabat figmenta simillima veris. Odis. lib. 19.

At verò dicet quis eo hæc dicuntur artificio quo *mendacem oportet esse sui memorem:* Ita omnino non diffiteor. Enimverò dic sodes quo hæc, quæ asseris, probas Argumento? quo S. Scripturæ textu? Asylum tuum est Jus Canonicum de Sacrileg. & Asylis, Decretum in hac quæstione emendicatum à Decretis Gregorii, quæ ut improbo sensu à te alleganrur, sic tuam thesim nec quicquam probant. Prætereo meros paralogismos & commenta antithesεos de Ethelotrescia, seu electitio cultu in Votis religiosis, de Sacrilegio ejusdem, de licita proinde Votorum ruptura.

Hæc enim omnia sunt vanæ argumentorum species, disparentes demonstrationum umbræ: quæ solidè satis dispulsæ cum ab aliis, cum à Doctissimo & Solidissimo Cardin. Bellarm. De Monachis Lib. 2. cap. 14. & reliquis. Qui etiam illud, quod ex Cypriano Lib. 1. Ep. 11 depravato sensu adfert Examinator vanissimam umbræ, ne dicam veritatis speciem declarat sole clarius meridiano loc. cit. cap. 34 præsertim cùm idem S. Martyr eodem Lib. 1. Ep. 11. ad Pomponium pronunciet. *Christus D. & Judex noster.*

cùm

cùm Virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, jacere cum altero cernat, quàm indignatur & iraſcitur! - - - - Et inf. *Quæ*, inquit, *hoc crimen admiſit non Mariti ſed Chriſti adultera eſt.* Et lib. de habitu Virg. *Qui ſe Chriſto dicaverint, & tam carnem quàm mentem DEO devoverint,* (*NB.* En vota Religioſa agnoſcit) *opus ſuum conſument magno præmio deſtinatum.* En Vota ſervanda eſſe non autem licitè rumpenda aſſerit. Ergo ex mente D. Cypriani non pietas ſed manifeſta impietas, quia adulterii crimen eſt fidem vitæ continentis ſemel DEO per votum datæ conſecratam haud ſervare. Quid porrò hâc eâdem de re ſenſerit D. Chryſoſtomus lege Tom. 5. duas Parænetícas Epiſtolas ad Theodorum Monachum lapſum, ſuum fœtidum ſacrilegium fucoſi Matrimonii larvâ obtegere nitentem: Audi verò energicam ad præſentem ſcopum ſententiam ex poſteriori Epiſtola. *Bonum quidem ait nuptias & ipſe confiteor, honorabiles inquit nuptiæ; & cubile immaculatum.* Hebr. 13. 4. *Fornicatores autem & adulteros judicat DEus. Sed te jam ſervare non convenit privilegia nuptiarum: Angelorum enim Societati junctum ſemel, illam relinquere & Uxoris laqueis implicari adulterii crimen incurrere eſt. Quamvis frequenter hoc nuptias voces, ego autem & adulterio illud tantò pejus affirmo, quantò major & melior mortalibus eſt Angelus,* - - - *Neque ullus tibi perſuaſerit dicens: Nihil de non accipienda Uxore Dominus præcipit; nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verum in te adulterii nomen accipit, ſi volueris unquam, quod abſit nuptias cogitare, Et quid mirum ſi nuptiæ tales, quibus offenditur DEus adulterio comparentur,* & infra. *Cùm hæc ita ſint, ſtupere deſiſte, ſi nuptiæ pejores adulterio judicantur, quoties Chriſtus offenditur: Atq; (ut illud repetam, quod in principio poſui Epiſtolæ) ſi militiæ vincula non tenerent, quis tibi deſertionis crimen objiceret? Nunc autem in te nihil penitùs tui Juris eſt, quippe qui tanto Imperatori militare cœpiſti: Nam ſi*

mulier proprii Corporis non habet potestatem, sed vir, multò magis hi qui Christo potiùs, quàm sibi vivunt, conditionem Corporis sui habere non possunt. Agnoscit hic apertè S. Pater hominem per votum castitatis Deo dicatum non esse sui juris, sed ipsius DEI. Unde juxta regulam juris 51. *Semel Deo dicatum non ad usus humanos ulterius transferendum.* Ac proinde is qui voto castitatis Deo dicatus est, non potest ad profanas nuptias descendere, alioqui Dei Judicium haud effugiet. *Iste* (pergit S. Pater) *qui nunc Theodore* (Luthere cæterique ejus asseclæ) *contemnitur ipse tunc sine dubio judicabit, hoc præcipuè cogitemus, prospiciamus illum igneum fluvium qui ante conspectum illius præcedet, & quòd qui illis semel traditus fuerit flammis, sperare non poterit requiem, finemq; pœnarum.* Hucusque *aureum Os.* Verè auream contra Sacrilegos voti castitatis violatores tulit sententiam.

Dic jam Sodes *Vincula votorum Monasticorum sacrilegè necti?* Clamita, *eadem licitè rumpi ab orthodoxis?* Prædica, *DEum ipsum libertatem cõcessisse?* Audi quid tibi dicenti, clamitanti, prædicanti intonet D. Chrysost. castissimus Antistes: *Votis monasticis illigatum servare non convenit privilegia nuptiarum. Angelorum Societati junctum semel, illam relinquere, & uxoris laqueis implicari adulterii crimen incurrere est; Quin adulterio id tantò pejus est - - - Talibus nuptiis offenditur Deus.* Quomodo igitur *libertatem concessit?* Quo pacto *licitè rumpuntur ab orthodoxis?* Quo modo te scilicet censore iniquo sacrilegè & non potiùs sanctè arbitro & Judice æquissimo D. Chrysostomo nectuntur? *Ipse qui nunc talia* à te sentiente, ab aliis sententiam tuam pravam in praxim deducentibus, *contemnitur ipse tunc sine dubio judicabit. Hoc demum cogita, hoc prospice, igneum illum fluvium,* quo ne æternùm mergaris è tam profundo, & turpi fœtæ opinionis cœno tandem emergere contende: aliàs & Prophetæ horrendum Væ tuas verberabit aures.

Væ

Væ qui spernis (hæc) *nonne & ipse sperneris - - - cùm fatigatus de sieris contemnere, contemneris.* Isaiæ cap. 33.

TRUTINA

Numeri VI. ad Præf. 1. *p.* 6.

Asserere quòd Ecclesia Romana juxta Concilii Tridentini Regulam & tesseram, in statione sua jam in alterum usq; seculum constanter persistat, hominis est, aut rerum gestarum ignari, aut nebulam veritati palam suffundentis.

Et hæc Thesis parum aut nihil à præteritis differt, nec plus Veritatis, falsitatis dicere debueram in se continet quàm illæ. Nam 1. Examinator probat Gallos sese opposuisse Concilio Trident: tum ab his ad Hispanos descendit, sed quantum in primo limine impegerit ex ipso Gramondo Hist. Gallicæ lib. 1. m. p. 72. 73. discemus. Ita enim ille ibidem. *De Tridentino Concilio expediatne in Gallia promulgari? multa in utramq; partem his temporibus vulgata prætereo.* Deinde sequuntur reliqua quæ quâ fide ab Examinatore adducta judicet Cordatus Lector. Etenim animadverte inprimis Examinatorem infideliter Gramondi immediatè dictis, *Prævaluitq; Clero populus.* è proprio genio citra Veritatem hæc addere, *& negata est promulgatio :* Hæc enim verba non reperiuntur apud eundem, ergo malâ fide ab Exam. sunt adjecta. Deinde patet manifestè Concilium in certo sensu acceptatum fuisse, siquidem addit expressè, *sub his conditionibus imbuebamur Concilii Oecumenici doctrinâ purissimâ.* Ad hæc agitabantur ibi quæstiones facti non juris, morum non fidei; Legum nonnullarum politicarum, ac Privilegiorum Regno Galliæ propriorum, quibus præ aliis Regnis speciatim, olim sibi à Summis Pontificibus liberaliter concessis, gaudet Gallia, utpote Summorum Pontificum rebus in adversis perpetuum asylum, & receptaculum tutissimum, non quæ universam Rempublicam

Christianam atque Ecclesiam Catholicam attingebant: quæ utique minimè Concilio Tridentino inficiabantur. addit enim Gramond. *Et si quid irrepserat contra leges Politicas, aut Privilegia Regni, explicari fas erat, aut mutari prout proponebatur. Non hæc Concilio, quod vocant Essentialia, non hæc de Fide: parerga erant, citra necessitatem adjecta; quæ nihil vetuit leniri, aut tolli penitus: quæ contra objiciebantur, vana erant.* Certum igitur est Galliam cum Ecclesia Romana juxta Concilii Tridentini Regulam & tesseram in statione sua jam in alterum usque seculum constanter persistere, in iis præcipuè quæ essẽtialia videlicet dogmata fidei in se cõtinent, ut dictum. Quod ipsũ luculento testimonio Cardinalis Palavicini Historiæ Concilii Trident. lib. 24. c. 10. n. 15. comprobatur, ubi sic ait; *Satis in comperto mihi est, per universam Romanam Rempublicam per Galliam præsertim summam de illo* (Supple Concil. Trident.) *existimationem fuisse diffusam: ac primò quidem Decreta doctrinæ adorata illic fuêre tanquam sacrosancta ab universis Catholicis; dein quanquam disciplinæ decreta in difficultatem offenderent, propterea quòd aliqui ex Concilio, & ex Senatu ea quasi detrimentosa privilegiis Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ depinxerant; tamen Episcopi in Synodis Provincialibus illa pro virili sunt imitati, & per hanc imitationem in Gallia Ecclesia ultra modum meliorem in formam redacta est. - - -*

De Hispania itidem testatur idem Cardinalis quod idem Concilium Tridentinum acceptaverit. Ea porrò quæ Examinator objicit circa Versionem vulgatam ex Mariana nihil impediunt, quominùs sua autoritas & vulgatæ & Concilio eam pro authentica habentis & approbantis in suo vigore permaneat, etenim eæ Doctiorum Controversiæ diversa sentientium tandem sopitæ, ita ut defactò à tota Hispania vulgata pro authentica recipiatur, propter authoritatem Concilii. Quidquid insuper erat diversarum sententiarum præsertim in Brugense, id eò tandem collimabat, non ut quicquam de vulgata versione contra Concilii, & Romani

Ponti-

Pontificis autoritatem statueretur, siquidem ipse Examinator agnoscit ex Brugensis ejusdem verbis, quòd *correctionum Romanarum integrum librum Catholicæ Ecclesiæ, ejusq; in terra conspicui capitis Romani Pontificis judicio submiserit,* Sed potiùs *ut perfectior reddi posset Latina versio.* Hæc enim verba ex eodem citat Examinator: non igitur de substantia erat difficultas, sed de accidenti, seu modo. Cætera quæ ex Autoribus variis variæ fidei hinc inde quæsitis adfert, circa sensum plurimorum Decretorum illius Concilii, intelligenda sunt de decretis *Disciplinæ & morum* non *doctrinæ & fidei,* ut supra vidimus ex Card. Palavicino etiam in Galliis actum. Qui in Concilio Trident. pro hæreticis declarati, à Walenburgensibus & aliis etiam pro Schismaticis rectè arguuntur, utpote qui sese ab unitate & capitis & corporis Ecclesiæ visibilis separârunt. Nullus verus genuinus Romanæ Ecclesiæ filius, nisi fortè adulterinus aut supposititius abjectè de Concilio Tridentino ita sensit, ut nonnisi metu adactus illud agnoverit. Commenta sunt hæc mirabilis Petri Svavis insvavis, Polani Polo proinde, ut ejus inscribatur nomen haud merentis. Nullo unquam cuipiam violento motu, talem adactum metum, expresſit Ecclesia Romana Catholica. Quæ Regnorum nonnullorum ut Hispaniæ contra hæreticos sunt laudanda statuta, metum haud adigunt ulli nisi qui ut hæreticus Veritatis fidei osor, Catholico illi Regno temerè infert pedem, quem è Catholica extulit Ecclesia perniciosè. Quanquam mitiùs longè secum agi in Hispania & alibi, quàm cum Catholicis in Gallia, & Belgio olim Anglia quoque etiamnum, fateantur necesse est. Scripserit sanè Gregor. de Valent. posse quenquam sine periculo de vi, sensu definitionis Concilii Tridentini aliter opinari, id intelligendum sanæ nec perversæ menti in iis quæstionibus quæ sunt moris, non fidei decretisque non Doctrinæ, sed Disciplinæ ut supra dictum. Ad extremum trophæum erigit R. P. Autor Scrutinii Concilio Tridentino, Etenim

ſtat inconcuſſum atque immotum, quod ajebat, nimirum: *Eccleſiam Romanam juxta Concil. Trident. regulam & teſſeram in ſtatione jam in alterum usq; ſeculum conſiſtere conſtanter.* Siquidem in nulla quæſtione, decretove doctrinæ ac fidei immutatio facta oſtendi poteſt: cùm contra in Diſſidentium Confeſſionibus, in præcipuis quibusque articulis fidei de SS. Trinitate, Conſubſtantialitate Filii Dei, de Sacramentis, eorumque uſu & cæteris ſumma diſcordia, diſſidium, diſſenſio comprobatur tum ab aliis tum Scrutinio Veritatis pluribus locis. Apage tandem meliori ſimul ſimul arctiori examini meritò ſubjiciende malæ fidei Examinator Scrutinii Veritatis? & veritati quam intelligere aut ſubdolè diſſimulas, aut craſsè reſpuis, nebulam palam ſuffundere deſiſte, rerumque Catholicarum te ignarum ingenuè fateare. Ac proinde ut verbis D. Auguſtini utar L. de util. Cred. cap. 17. *Si quid te vel ratio noſtra, vel oratio commovit, velim me audias, & bonis Præceptoribus Catholicæ* (Romanæ) *Chriſtianitatis te piâ fide, alacri ſpe, ſimplici charitate committas.* Sic enim tandem veritatem, abjectâ falſitate agnoſces.

TRUTINA

Num. VIII. ad Præf. 1. p. 5.

Novam Confraternitatem ſub titulo SS. Trinitatis poſt Servetum Socinumq; à Pontificiis erectam eſſe, quâ nunc major quàm unquam antea honor Myſterio SS. adorandæq; Trinitatis tribuatur, aniſtoreſia eſt.

Ultimum tandem, Examinator Scrutinii Veritatis Fidei, ſi Diis placet! expugnando admovet arietem, amphorâ quam hoc Scrutinio inſtituere cœpit, atque urceo, qui è fornace imperiti figuli exit fragilior, ut proinde non quam ſibi imaginabatur de victoria palmam referre, ſed veriùs herbam Victori victus cogatur deferre. Omnes hiſtoriarum Libros apparet eundem non legiſſe duntaxat, ſed ut vulgò fertur devorâſſe, qui R. P. Autori

Scruti-

Scrutinii anistoresian, id est ignorantiam historiæ ut temerè, ita imperitè objicit. Dixerat ille in Præfatione I. *Annon intueamur SS. adorandæq; Trinitatis Mysterio honorem tribui longè majorem, quã unquam antea, novâ etiam Confraternitate sub titulo SS. Trinitatis erectâ: nimirum salutares in pio fervore fidelium scintillas excitavit perniciosus cineri doloso tot seculis sepultus Arii ignis, à Serveto & Socino è cineribus erutus, & sufflaminatus, &c.* Accedit propiùs hunc ignem Examinator sat audacter, non ut ab illo incalescat, sed ut illum extingvat, aut dissecet ficulneâ credo machærâ, immemor illius dicterii: *Ignem gladio ne fodito.* Sumit enim hinc occasionem criminandi, sugillandi, & exsufflandi Confraternitatem SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum in Monasterio Olivensi, operâ Perill. ac Rever. Michaelis Antonii Hacki, Abb. Colbac. Coadjut. Oliv. Anno 1673. in Monasterio Olivensi primùm solenniter erectam. Hanc censoriâ Virgulâ ferire non veretur, inprimis quidem præteritionis figurâ, *non disputabimus utrum SS. Trinitati honor tribuatur observatione Regularum, quæ spirituali Societati Fratrum, Sororumq; SS. Trinitatis in Monasterio Olivensi editæ sunt.* Postmodum verò aperto Marte Regulas ibi propositas, *Verbo Divino adversari* palam decretoriâ sententiâ enuntiat, O præclarum Custodem Verbi Divini! quo si caruisset, pridem de illo actum fuisset! O flagrantem zelatorem honoris SS. Trinitatis! ab hoc enim nimirum Legislatore novo Mose, discendus erat honor & igneus fervor in SS. Trinitatem. Prô! quantum proinde erratum est à vobis Fratres & Sorores hujus Sodalitatis, qui hoc inconsultò tantum opus aggressi! Ast enimverò tu bone Schelgvigi crede mihi, *animalis homo es, nec percipis ea quæ sunt Spiritûs DEI; stultitia enim tibi & non potes intelligere* 1. Cor. 2. 14. Ex illo insuper numero te agnosce, in illorum te Cathalogo vide, lege de quibus S. Judas. *Hi autem quæcunquè quidem ignorant, blasphemant. quæcunq; autem naturaliter; tanquam muta animalia norunt*

runt, in his corrumpuntur, væ illis quia in via Cain abièrunt! Cain inquam Fratricidæ, quem tu imitaris Fratrum & Sororumcida hujus Sodalitatis: ita non opus illis est adire capitalis Crucis hostes; in Captivitatem à te detrusi rei capitis à te Minoë & Radamanto severiore, non æquiore Judice decretoriâ sententiâ proclamati: quia rei læsæ supremæ Majestatis Divinæ; Etenim loco honoris SS. Trinitati exhibendi, *Verbo Divino adversantur.*

Sed jam an rectè Anistoresian objiciat R. P. Aut. Scrutinii videamus: Non ille ignarus fuit S. Ordinem Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum divinitùs institutum esse sub Innocentio III. Papa Anno 1193. Nec vim reponit in majore honore exhibito, occasione Serveti & Socini, SS. Trinitati per hunc Ordinem primùm institutum, hoc enim foret, aut ignorantis, aut perversi, quia rerum temporumque ordinem pervertentis ingenii. Sed hæc est mens R. P. Autoris rectè probèque nisi improbus velit manere à Schelgvigio percipienda. Quòd scilicet cùm hic Ordo solas, intra cancellos Ordinis, Religiosas personas Votis Religionis adstrictas incluserit, hâcque lege SS. Trinitatem honoraverit: insuper à temporibus primùm Serveti ac Socini hostium Sanctissimæ Trinitatis: hujus Ordinis ut ita dicam, tentoria dilatata sunt An. 1608. etiam secularibus utriusq; sexûs personis ad Consortium & Communionem Spiritualium bonorum, privilegiorum, gratiarum, indulgentiarũq; admissis, exceptis votis Religiosis. Et per hoc certè major SS. Trinitati honor, & cultus exhibetur: toto enim orbe Catholico in quovis Regno non uno loco hæc Sodalitas erigitur, fideles ad majorem venerationem amoremque flagrantiorem SS. Triadis excitantur, & ex amore SS. Trinitatis ad majorem proximorum, præsertim in captivitate infidelium degẽtium, ut illis quoquo modo possunt succurrant, animantur: idque reapsè præstant; ut ita manifestè pateat

teat

teat hanc Confraternitatem Divino Verbo minimè adversari, quin eidem consentire: Præcepto enim Divino de *amore DEI* & *Proximi* directè, & solidè infundatur. Idq; ab eadē Confraternitate in praxim deduci testātur Historiæ, quin etiam audio vivos & oculatos hujus testes esse noñullos Gedani Mercatores. A quo quia longè abest Examinator, meritò ei serium ineundū examen foret: Neq; enim cōstat illum SS. Trinitatem specialiori cultu honorare, atq; amare; nec quenquam Captivorum in honorem SS. Trinitatis redemisse, aut redimere; nec ut redimantur, & SS. Trinitas singulariter colatur, ametur vè suis auditoribus commendare. Quâ in re minimè se Paulinum esse agnoscat, qui ad Hebr. 13. 3. monet *Mementote vinctorum tanquam simul vincti.* Unde haud ei ulla spes esse potest, ut omnium bonorum in vita & morte hujus Ordinis particeps efficiatur nisi fortè malorum, quod tamen non optamus: cùm enim sugillatoriam parenthesin pro colophone addiderit ad illa verba *omnium bonorum* (*cur non & malorum*) eandem sibiipsi dictam & scriptam à semetipso accipiat.

CONCLUSIO TRUTINÆ.

ET hìc tandem Examinis de Scrutinio Veritatis fidei malè instituti, melior sistit Trutina. Videtur mihi Examinator ex illorum omninò esse numero, de quibus Seneca apud Cassiodorum. *Quorum omnis vis est in lingva, & habent loquentiæ multùm, sapientiæ parum, apud quos verborum flumen, & gutta mentis.* (*a*)

Tacuisset ille potiùs, quàm ea in publicum protrusisset, quæ vel ipsi domestici fidei, æqui tamen boniq; Judices, probare haud potuêre, quin supprimenda censuerint: reportâssetq; de silentio venerationem: & *Os* Verba sunt Tertulliani (*b*) *Taciturnitatis honore signatum* retinuisset, si illud tenere scivisset. Bonis quibusve, rective ac veri amantibus inest, ut quispiam ajebat (*c*) *Magistra taciturnitas & eruditi forma silentii.* Pro impudentissimis simul ac imprudentissimis habiti Plinio, (*d*) *qui mortifera loquuntur*

(a) *Apud Plutar. Anaxim. Teocritus.* (b) *Tertull. de Patient. c. 15.* (c) *Apud Ennod, in parænet.* (d) *Plin: Lib. 14. cap. 22.*

tur, quæ cooperiri deberent, rediturasq; per jugulum voces non continent. Levis sermo facilè volat, & facilè violat, ajebat mellifluus Doctor: (e) Hinc præclarum Senecæ monitum. (f) *Optimum est, ad primum mali sensum mederi sibi, tum verbis quoque suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum. Hæc* etenim *est regalis* ajebat Casfiod. (g) *proculdubio Virtus celeriùs necessaria sentire, & tardiùs in verba prorumpere*. Quamobrem dedisset Examinator Examen suum Examini non suo tantummodò sed aliorum, qui meliores alienarum rerum semper judices, cœcutit enim in propria causa mens humana, fascino internos oculos philautiâ imbuente; non tam severâ proinde in idem Examen Trutinâ animadvertissemus, nec Examinator causam pœnitendi suam dicacitatem & Matæologiam habuisset. *Nescit* ait Casfiod. (h) *Pœnitenda loqui, qui proferenda priùs suo* quin addo; & aliorum *tradidit Examini*.

Nemini tamen hujus Examinis Trutina videatur minùs æqua, utpote quæ & severitatis, & veritatis ad amussim tenet æquilibrium. Si nonnihil in adversam partem suo pondere procumbere videtur, æquæ semper pœnæ talionis id adscribendum. Quâ si vindiciæ famæ & innocentiæ fiant, non id pro convitio aut calumnia apud prudentes quosque habetur. Ita nuper à Lutherano decretum Areopago, *in Responsis duarum inclytarum facultatum* (hic est titulus libelli impressus Helmstadiæ Anno 1678) *& unius primarii Juris Consulti de programmate Laurentii Laurertini*, in quibus ab omni convitii crimine liberatur dictus Laurentius, quòd *is programma vindicandæ famæ & Innocentiæ D. Georgii Calixti, & Joachimi Hildebrandi maiedico & injurioso D. Abrahami Calovii programmati opposuit*. Nec verò miretur Examinator stomachum nobis movisse, nauseamq; creâsse suo Examine. Etenim haud benè pistus panis, aut dapis, & malè

(e) *Bern. in Sentent.* (f) *Lib. 3. de Ira.* (g) *Lib. 10. Epist. 4.* (h) *Casfiodorus loco citato.*

malè coctus cibus, sanæ menti est, famosus libellus meris scommatibus, calumniis, & crimine falsi in aromatum vicem conditus. Quare occinere eidem liceat,

Haud bonus es Pistor Schelgvigi, quam apposuisti
Mensæ, hoc libro; à te non benè pista dapis.

De meliore longè penu officinaq; dignam certè luce Epistolam dedit ad R. P Autorem Scrutinii quidam (à cujus nomine & cognomine in publicum proferendo adhuc ob certas rationes supersedeo) olim ante annos 23. ut ipse fatetur, Magistri & Doctoris laureâ ornatus in Academia Rostochiensi, quâ candidè suum de Scrutinio Veritatis sensum maturum sanè, ac pondere plenum aperuit. Quam cùm mihi R. P. Autor Scrutinii communicaverit, aliqua saltem ex illa præsertim Exordium & Epilogum hìc apponenda duxi: tum in solatium omnium bonorum, tum ut omnes æqui veríque amantes judicent quantùm intersit quo animo indages veritatem, sinistro, ne perturbato, atq; præjudiciis laborante? an dextro, simplici, & sincerè indissolubili nexu Pacem & Veritatem diligente, atq; pro unico objecto habente? Illum in Schelg. Exam. hunc in Epistola hujus manifestè legere licet. Experire, fac parallelam, & fatebere id quod pronuntio ipsi Veritati consentaneum.

EXCERPTUM

Ex Epistola unius M. & Doctoris Rostochiensis ad R. P. Joannem Franciscum Hacki, S. J.

SAlutem à Salutis Veritatisq; Fonte JESU Christo Vir Excellentissime, Pater admodum Venerande!

Ignosce Pater Reverende audaciæ meæ, quòd Tuam Venerabilem Paternitatem sanctis forsan occupatam laboribus, interpellem. Benevola tua humanitas, quam olim à Nobilissimo Domino Damlero bene recommendatam ante annum, & quod excurrit, ipsemet expertus sum, indulgeat gratiosè mihi, pro a-

gnoscenda Divina Veritate, ejusque Magistra, ac Columnâ, quam intimitùs anhelo, mea qualia qualia proferre ac informationem, quam spontè & coram, & scriptis pollicitus es Pater Reverende hisce petere. *Scrutinium Veritatis Fidei*, quod laudabili erga Ecclesiam Romano-Catholicam studio Evangelicis monstrâsti, eò lubentiùs accepi, quo id non bellum, sed pacem Veritatemque intendere video: Studium longè, imò æternùm laudandum! Quis enim Christiano gaudens nomine ac animo non illacrymabitur mecum, tot tantasque in rebus fidei Christianæ, quæ animarum æternam vel salutem, vel perditionem inferunt irreconciliabiles differentias, & ex his tanta odia, dissidia, bella videns! Equidē vivimus inter homines, qui à mitissimo Agno Christo Christiani dicti, *unum Deum, unam Fidem, unum Baptisma* profitentur: Nomen quidem Evangelici buccinantes, rem at Evangelii, id est, dilectionem non habentes. Dilectio vera, sincera, sine fuco, sine simulatione solus ferè est Christianorum character: ex quo pax unicè redundat, quam pacis Dux, *ceu hæreditatem quandam* (ad mentem D. Augustini serm. 166. de temp.) *nobis dedit*. *Pacifici* enim *vocantur*, Matth. 5. *Filii Dei*, i. e. hæredes Dei. *Ergo omnibus viribus Pax est custodienda* (loquor cum prædicto Præsule c. 1.) *quia semper in Domino manet, qui in pace sancta manet*. Pax autem sancta verax est expers omnimodi falsiloquii: Nimirum, fidus nemini est, cujus os infidum dissentiens à propria mente. Falsus qui verbis, malus præsumitur in operibus. Contra: *Verbum veritatis in ore* (Judicio S. Hieron.) *bonam in mente voluntatem præsupponit. O Amicabile conjugium pacis & veritatis! ubi enim pax est* (Verba sunt S. Clement.) *ibi in disputatione veritas, in operibus Justitia invenitur*. Utinam considerent id omnes, Pacem, Pacem qui clamitant in fide, falsitatibus tamen sanctam obnebulant veritatem. Hos convertat misericors Deus, quò dogmata Ecclesiæ tractantes interno oculo Lumen veritatis conspiciant, tandem in cœlis conspecturi Chri-

Christum, qui est veritas! unum hoc mecum est votum tuum & Piorum: quod exaudiat Deus ab alto!

Lutheranus ego, interque Lutheranos natus, educatus, inq; scriptis Lutheri ac Lutheranorum informatus, spartamque non contemnendam, ex qua honestam alere Familiam, honestè possum, adeptus, desidero in Gremio S. Matris Ecclesiæ esse, & manere flagrans, Eruditissimum tuum Scrutinium legi, perlegi, relegi. Multa inveni solidæ eruditionis, & quod mirum in modum placet, Pietatis & voluntatis unicuique veram Christi Sponsam digitis quasi monstrandi, argumenta, quibus omnium nunc temporis Dissidentium Fidem, Regulas, Libros, Notas, Symbola, Confessiones tam præsentes, quàm futuras, Ecclesiasque petis, unico quasi cornu, omnes simul everturiens, & annullaturiens; Romanam autem tuam Ecclesiam Catholizando, ac in Magistram fidei infallibilem, cum Præside illius authorizando. Magnus sanè tuus animus est, tanti momenti rem qui aggressus est: Quod quidem olim magni Viri fecerunt, ast quod ego sciam, non perfecerunt. Magnus vester Gretserus, Tannerus, aliique de hoc themate, in publico Colloquio Ratisbonensi, multos & copiosos nostris cum Theologis miscuêre sermones, principio hujus seculi, utinam non tam infructuosos! Fateor equidem in nonnullis tum temporis hallucinatos esse nostrates: Attamen non contemnenda remanserunt nostratium argumenta, adhuc resolvenda. Mitto hæc: Alio tamen tuum Scrutinium incedit Cothurno, aliaque methodo Tuam defendis, nostramque oppugnas Ecclesiam.

Problema Vir Reverende tuum est, Neminem posse de veritate fidei suæ, vel religionis Christianæ certum esse, ex solo verbo DEI scripto, sive ut tuis loquar verbis: Illos qui solum Verbum DEI scriptum, pro Regula, norma, ac Judice fidei, exclusâ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Autoritate habent, nullam habere religionem Christianam. Econtrà, illos qui Verbum Dei scriptum, prout

Romana illud Ecclesia interpretatur, pro norma fidei recipit, posse de veritate religionis suæ certos esse. Ratio: Quia unaquæq; religio Dissidentium, ut sunt Lutherani, Reformati &c. pro norma, regula, & Judice Fidei, ac Religionis assumit solum Verbum Dei scriptum, absque Catholicæ Ecclesiæ Autoritate, & tamen multis parasangis à se invicem etiam in maximi momenti Articulis distant: Ergo nullam habent religionem. Nam si Lutheranæ Religionis, ex hoc principio Veritas sequeretur, sequeretur & Veritas aliarum religionum, tam longè à se Dissidentium, quod absurdum. Ergo necesse est assumi aliud principium, aliamq; Regulam activam seu regulantem, i. e. Interpretem, qui dictam Regulam Passivam scil. S. Scripturam applicet, ad certum fidei articulum.

Equidem Ego (de aliis meram Orthodoxiam vanè crepantibus non dico) sic statuo. Præter Verbum DEI scriptum in dijudicandis Fidei articulis Controversis, requiri omnino regulantem, seu interpretem Fidei i. e. Ecclesiam Catholicam, quæ vindex est vera à falsis discriminans, aliàs nullus erit finis Controversiarum. Quodlibet dogma examinandum est ad S. Scripturam. Quod si in illa explicitam secundùm omnia, non reperire licet decisionem, confugiendum ad Catholicam Ecclesiã, seu qui illam repræsentant, Ecclesiæ Catholicæ Patres vetustiores. Ita Reverend. D. Dreyerus & alii, ita & Concil. Trid. Sess. 4.

Remanet itaq; omne momentum in quæstione quænam sit illa Catholica Ecclesia? Utrum Sola Romana, exclusis Ecclesiis Græcis & Evangelicis &c. An verò tota Ecclesia, per totum terrarum orbem dispersa quæ JESUM CHRISTUM Filium DEI confitetur, ad quam Romana, Græcæ, Syræ, &c: & nostræ referantur, sit illa Catholica Ecclesia?

Sequuntur deinde ejusdem rationes dubitandi, quas hic brevitatis gratiâ haud adduco: præsertim cùm mihi persvadeam, lucem visuras, cùm ad eas à R. P. Autore Scrutinii solidè responsum fuerit. Non

possum

possum tamen præterire Epilogum ejusdem Epistolæ; Sic enim illam concludit:

Ego quidem Lutheranus quamvis,& honestè ex spartâ me,meosque sustentare possim,statim relinquam omnia, & Te P. Admod. R. sequar in gremium Romanæ Ecclesiæ me collaturus,si infallibilitas Romanæ Cathedræ Catholicè (liceat mihi sic loqui) probari possit,id est,quòd infallibilitas hæc credita sit semper,ubique,& ab omnibus. *Et post pauca.* Interim scias R. Domine Pater,me Lutheranam nostram Ecclesiam habere pro parte Ecclesiæ Catholicæ,imò etiam pro parte Ecclesiæ Romanæ. Scio enim Prussiam nostram per Pontifices à Sede Romana missos, ad Fidem Romanam conversam esse, adeòque ex hoc fundamento Romanam Sedem colo, ceu Matrem Ecclesiarum Prussicarum, neque me separatum volo ab Ecclesia Romana,id quod nec Protestantes Principes voluêre. Neque dico Ecclesiam Romanam errare in fundamentalibus Articulis fidei,neque id unquam præfati Principes dixerunt,sed nondum consensum dare possumus nonnullis abusibus, utpote de quibus etiam protestati Principes supra memorati. Laudo in vestra Ecclesia Pietatem,Sanctitatem Ordinis,& plura alia. Veneror etiam vestrum Romanum Pontificem Præsulem sanè admirandæ pietatis,prudentiæque. Absit à me tantum Præsulem calumniis, ut solent nonnulli Antichristi nomine lacessere! absit! Equidem ego ante annos 23. Doctoris ac Magistri titulum,in Academia Rostochiensi, à Sede Romana confirmata adeptus,me aliquo modo Rom. Pontifici juramento obstrictum reperi, in casu scil. Defensionis Privilegiorum Academiæ illius. Unicè restat ut mihi dilucidè probetur universalitas ac infallibilitas solius Rom. Eccl.

Hæc sunt Pater summè Reverende dubia mea, quæ ad Scrutinium tuum informari desiderans reponere volui. Informes quæso Veritatis cupidum, & anhelantem gremium veræ Matris Ecclesiæ Catholicæ! Ante annum & quod excurrit,benevolo Tuo Colloquio,& de hac materia coram dignatus fui. Spero jam quoq; à Tua Reverenda Dignitate solidam me impetraturum informationem, quo agnitâ universalitate Sedis Romanæ in Gremium S. Matris me conferre, conscientiamque pacatam in æternùm retinere possim. Vale Feliciter.

Dat. Die S. Martini 1682.

Tuæ Reverendæ Patern.
Obsequentissimus Cliens.
N. N.

Utinam & huic amico Lectori, & Schelgvigio improbo Examinatori Scrutinii Veritatis tam clarum à *Patre Luminum, à quo omne datum optimum, omne donum perfectum procedit, desuper* exoriatur Lumen & splendor gratiæ, quo ad S. Matrem Ecclesiam orthodoxam Catholicam Romanam accedant, yerè *Filii lucis* futuri in terris, atque in cœlis, tandem *in lumine* gloriæ perrennaturæ nunquam obscurandum *Lumen* Divinæ *faciei ad faciem* clarè ac sine ænigmate conspecturi. Fiat, Fiat.

ERRATA CORRIGENDA.

IN *Dedicatione versu* 3. Offuciis *omissum* vindicare. *Ibidem quarto versu ante finem* Poëta, Lege Poëtæ. *Pag.* 1. *v.* 17. mentem, *lege* ruentem. *Pag.* 2. *v.* 9. effundere, *lege* offundere. *Ibid. v.* 24. Nec quicquam, *lege* Nequicquam. *Pag.* 6. *v.* 12. asveto, *lege* assveto. *Pag.* 14. *v.* 24. vidit, *lege* videt. *Pag.* 15. *v.* 10. hæreses, *lege* hæresis. *Pag.* 17. *v. quarto à fine*, perito, *lege* versato. *Pag.* 19. *v.* 8. aut, *lege* haud. *Pag.* 21. *v.* 7. voluntariæ, *lege* voluntariè. *Pag.* 23. *v.* 10. quam & tuis, *lege* quam in tuis. *Pag. ead. v.* 26. quia, *lege* quin. *Pag.* 24. *v.* 4. Opponit Ordo S. Ordinis, *dele* Ordinis. *Ibid. v.* 13. Generali, *lege* Generalem. *Pag.* 27. *v.* 10. apponamus, *lege* opponamus. *Ibid. v.* 11. verùm *lege* verum. *Pag.* 30. *v.* 17. adduxit, *lege* abduxit. *Pag.* 31. *v.* 19 voierum, *lege* votorum. *Ibid. v.* 24. maledicta, *lege* malè dicta. *Pag.* 36. *v.* 27. Concilio, *lege* Concilii. *Paginâ* 37. *v.* 5. *ante fin.* de vi sensu, *lege* de vi & sensu. *Pag.* 38. *v.* 8. *ante fin.* Scrutinii, *lege* Scrutinio. *Pag.* 39. *v.* 2. Intueamur, *lege* Intuemur. *Ibid. v.* 6. *ante fin.* arietem, *omissum* qui. *Pag.* 39. *vers. antep.* Cathalogo, *lege* Catalogo.